25 Quartò, quia Adverſarii non eodem modo oppoſitam defeudunt ſententiam, diſcrepant enim in aſſignanda forma ſanctificante in hoc ordine ſanctitatis increatæ, quæ in genere cauſæ formalis humanitatem Chriſti hoc modo ſanctificet, nùm ſit ipſa divina natura, vel perſonalitas Verbi, vel modus ipſe unionis ut diximus ab initio quæſtionis *n.* 2. Primò aliqui probant hanc formam ſanctificantem eſſe ipſum unionis modum, quia unio formaliter ſumpta eſt gratia, & altioris ordinis, quam gratia habitualis, quapropter D. Aug. *lib. 3. de Trinitat. cap.* 18. vocat eam ſummam gratiam, ac ei tribuit Chriſti impeccabilitatem; ergo ea ſola, ut quod, eſt forma ſanctificans Chriſti humanitatem; ergo ad hunc finem non eſt neceſſaria gratia. Secundò probant alii hanc formam ſanctificantem eſſe ſolam Verbi perſonalitatem, quia ipſa perſonalitas, ut virtualiter diſtincta à natura divina, eſt infinitè perfecta, & venerabilis ſupremo cultu latriæ propter excellentiam, quam in ſe habet; ergo ipſa, prout virtualiter diſtincta à natura, eſt ſufficiens ſanctificare humanitatem, & perfectiori modo, quàm quælibet gratia habitualis. Tertiò tandem probant alii, humanitatem aſſumptam à ſola divinitate ſanctificari, ut virtualiter à perſonalitate diſtincta, quia Patres comparant unionem humanitatis cum divinitate factam in Incarnatione cum unione ignis cum ferro, aut cum carbone ignito; ſicut ergo ferrum, aut carbo ex conjunctione ad ignem redditur ignitus, & inflammatus, ut videatur eſſe ignis; ſic etiam humanitas ex coniunctione præcisè ad divinitatem, quæ eſt ipſa ſanctitas per eſſentiam, manebit deificata, & ſanctificata; Et quamvis unio Deitatis cum humanitate ſit mediata, adhuc tamen ſufficit ad illam deificandam, & ſanctificandam magis, quam inhærentia per informationem gratiæ accidentalis; quia quo virtus ſanctificandi major, & perfectior eſt, eò minorem poſtulat conjunctionem cum ſubjecto ſanctificatio; at Deitas eſt ſanctitas in infinitum excedens quamcunque ſanctitatem gratiæ accidentalis; ergo.

26 Reſpondeo, dùm D. Auguſt. unionem hypoſtaticam vocat gratiam; vel gratiam ſumit pro gratuita divinæ voluntatis condeſcenſione; vel intelligi debet copulativè, ideſt, copulata unione cum comitatu donorum, & gratiarum, vel diſpoſitivè, ut explicat Doctor; & hoc eodem ſenſu impeccabilitatem Chriſti adſcribit unioni divinitatis cum humanitate, nimirum diſpoſitivè ſolùm, non formaliter modo iam explicato. Ad 2. nego aſſumptum, quia proprietates perſonales, ut ab eſſentia præcisè, non ſunt adorationis capaces, quia, ut ſic, præſcinduntur à ratione adorandi, ut dictum eſt *lib. 1. diſp. 7. q. 1. n.* 48. neque hoc eſt inconveniens, imò ita docemur à Patribus, dum dicunt in actu adorationis ſeparandam non eſſe perſonarum Trinitatem ab unitate eſſentiæ, ſed in unitate deberi Trinitatem venerari, & unitatem in Trinitate, ut ibi dictum eſt. Ad 3. retorquetur argumentum quoad utramque partem, & quidem quoad primam, quia ſi in ſimilitudine ferri igniti fiat vis, potius oppoſitum deducitur, nam forma ignis non dat eſſe ferro, nec illud ſubſtantivè denominant, ſed tantùm adiectivè, non enim ferrum dicitur ignis, ſed ignitum quamquam totum videatur ignis, itaq; exemplo illo voluerunt indicare Patres, quod ſicut in poris ferri includuntur aliquæ ignis particulæ, ita in Chriſto ſanctitatem Deitatis includi, ac ſic Chriſtum, ut complexum per illam ſanctum eſſe. Retorquetur etiam quoad alteram partem, quia ut duo accidentia de ſe invicé in concreto dicantur, ſufficit eorum conjunctio in eodem ſubiecto, ut conſtat de albedine, & dulcedine in lacte; aut verò duæ ſubſtantiæ de ſe mutuò enunicentur in concreto, exigitur major unio, nempè in perſona, quæ utique maior eſt, quamvis ergo divinitas ſit maior ſanctitas, quam gratia habitualis, non poteſt aliquod ſubiectum ſanctificare maximè intrinſecè, niſi maiori nexu, quàm gratia habituali, uniatur; quod totum ſignificavit Doctor 1. *diſt.* 5. *q.* 2. ubi hoc diſcrimen aſſignat inter denominativa ſubſtantialia & accidentium, quod hæc ſuum ſortiuntur effectum per unionem informationis, ac etiam minori, ut patet de pluribus accidentibus in eodem communi ſubiecto ſuſtentatis, at verò ſubſtantia totum aliquod completum non denominat, niſi ſit illi eadem realiter; & incompletum non denominatur ab ea, niſi per informationem, ut materia à forma, corpus ab anima, at humanitas in Verbo ſubſiſtens completa eſt, & unio divinitatis cum ea eſt tantùm in tertio, ergo non ſufficit ad denominandam humanitatem ſanctam in eo rigore, quo Adverſarii prætendunt.

Ex dictis in tota hac quæſtione conſtare ſatis opinor, quàm immeritò nonnulli Adverſariorum oppoſitam ſententiam adeo certam putent, ut noſtram temeritatis inſimulent, ut videre eſt apud Suarez *diſp. 34. ſect. 2. §. dico ſecundò*; conſtat enim eam ſententiam in Scripturis non firmum habere fundamentum, nec Patrum teſtimoniis, quibus præſertim nititur, validè conſtabiliri, facillimam namque, & obuiam habent explicationem, ut conſtat ex dictis, cùm eorum intentio duntaxat fuerit Appollinaris errorem evertere, quod validè conſequuntur etiam in noſtra ſententia.

ARTICULUS TERTIUS:

Reſolvitur dubium, an Chriſto fuerit neceſſaria gratia actualis ad eliciendos actus ſupernaturales.

AFfirmant Recentiores paſſim Suarez, Averſa, Amicus, Morandus, & alii complures, quibus ex noſtris ſubſcribit Rada *3. part. controv. 4. art. 3. notab.* 1. quorum fundamentum eſt, quia ex vi naturæ unitæ Verbo, potentiæ non elevabantur ad aliquod præſtandum ſuprà vires ſuas; quarè cum plurima præſtiterit opera ſupernaturalia, neceſſarium fuit, quod per gratiam actualem excitaretur, & addiuvaretur à Deo, non minus, ac nos egemus eadem ad illa opera præſtanda. Negant communiter Noſtrates, ità Faber 3. *diſp.* 28. Vulpes *diſp.* 27. *ſect.* 5, & alii Scotiſtæ. 27

28 Pro reſolutione quæſiti advertendum eſt duplicem eſſe gratiam actualem, ſeù duplex auxilium; unum per modum concurſus; aliud verò per modum principii moraliter excitantis, vel ad malum fugiendum, vel ad bonum proſequendum, quod auxilium ex parte intellectus in aliqua ſancta cogitatione conſiſtit, & in pia motione ex parte voluntatis; Priorem gratiam dicendum eſt fuiſſe neceſſariam animæ Chriſti ad actus ſupernaturales eliciendos, non minus, quam ei neceſſarius fuerit concurſus naturalis ad actus naturalis ordinis eliciendos; & ratio eſt, quia nullus actus à cauſa ſecunda produci poteſt abſque proportionato primæ cauſæ concurſu; ergò ſicut implicat actum naturalem produci abſque naturali concurſu primæ cauſæ, ita implicat produci actum ſupernaturalem abſque concurſu ſupernaturali eiuſdem primæ cauſæ.

29 Cæterum de gratia poſteriori loquendo, dicendum, eſt minimè fuiſſe illi neceſſariam ad eliciendos actus ſupernaturales ad omnia præcepta Dei ad implenda, & ad omnia peccata vitanda; Ratio eſt, quia gratia præveniens, & adiuvans ſunt auxilia, quæ præſtat Deus homini viatori ad malum evitandum, & bonum proſequendum, & præſertim neceſſaria ſunt ad auferendam difficultatem naturæ lapſæ, & ad comprimendam appetitus ſenſitivi rebellionem contrà rationem circa opus honeſtum eligendum. At hæc neceſſitas ceſſat in Chriſto, quia Chriſtus non fuit purus viator præſertim quoad affectionem iuſtitiæ, nam ab inſtanti ſuæ conceptionis fuit beatus, ac in bono confirmatus, & humanitas eius vulnerata non fuit, ſed ſana, & integra; ergo iis auxiliis non indiguit; & ſicut viſio, & fruitio in Beatis ſecum affert vim ſervandi præcepta, & malum vitandi abſque huiuſmodi auxiliis, ita pariter de Chriſto dicendum. Confirmatur, quia auxilium excitantis, & adiuvantis gratiæ peculiariter eſt Viatoribus neceſſarium, ut actus ſint ſupernaturales, quatenus ſunt à principio ſupernaturaliter elevato; At hæc quoque neceſſitas ceſſat in Chriſto, quia ab initio ſuæ conceptionis pleniſſimè fuit Deo coniunctus, ſubſtantialiter quidem per hypoſtaticam unionem, ac etiam accidentaliter per actus beatificos; ergo omnis actus eius remanet perfectiſſimè ſupernaturalis ex parte principii per illos actus beatificos pleniſſimè elevati, eo vel maximè, quia magis ſupernaturales ſunt actus beatifici, quam auxilia actualia excitantis, & adiuvantis gratiæ; & efficaciores ſunt actus ipſi beatifici ad omne bonum volendum, & in bono volito ſemper perſeverandum, quam ſanctæ illuminationes ex parte intellectus, & inſpirationes ex parte voluntatis in Viatore; ergo magis quoque fuerunt ſupernaturales in Chriſto omnes actus eliciti, ex impulſu actus beatifici, quam eliciti à Viatore ex conatu ſanctæ illuminationis, ac inſpirationis, ut rectè Vulpes diſcurrit *loc. cit.*

Ex quo patet quid ſit dicendum ad fundamentum opinionis oppoſitæ; quamvis enim verum, ſit unionem hypoſtaticam non potuiſſe ſupplere defectum, quem natura aſſumpta habebat ad efficiendum actum ſupernaturalem, quia unio Verbi per ſe, ac formaliter præcisè terminata eſt ad ſubſiſtendum, & non eſt formale principium, vel ratio efficiendi aliquid; potuit tamen hic defectus ſuppleri ex vi unionis beatificæ, quæ in ordine actus ſecundi, & quod elevationem potentiarum ad operandum maior eſt quàm ipſa unio hypoſtatica, ut ait Doctor *3. diſt. 3. quæſt.* 1. ſpecialius enim, & efficacius movet, excitat, & adiuvat Deus ad benè volendum, ac in bono volito perſeverandum Beatos ſub actibus beatificis, quam Viatores per ſanctas illuminationes, ac inſpirationes: quarè ſicut generatim Beati auxilio gratiæ excitantis, & adiuvantis non indigent ab actibus beatificis diſtinctio ad benè volendum, & in bono volito perſeverandum; idem pariter, vel à fortiori dicendum de Chriſto, qui à ſuæ conceptionis initio pleniſſimè illuminatus fuit ſub actu beatificæ viſionis, ac eius voluntas efficaciſſimè mota, & excitata ſub actu beatifici amoris circa omnia agenda pro implenda Dei voluntate iuxtà illud Ioan. *Ego quę ei ſunt placita, facio ſemper.* 30

Dices

3 Dices, indiguit intellectus animæ Chriſti actuali auxilio ſupernaturali ad videndum Deum initio ſuæ conceptionis, ſimilitèr eius voluntas ad eum amandum ex charitate perfecta, cum huiuſmodi ſint actus ſupernaturales vires naturales eius excedentes; ergo fuit neceſſaria animæ Chriſti etiam ab inſtanti ſuæ conceptionis actualis gratia adiuvans realiter diſtincta ab actibus beatificis ab ipſo tunc attingendis.

Reſpondeo ſi per actualem gratiam adiuvantem intelligatur auxilium ſpeciale per modum concurſus, totum admittitur, ſi intelligatur auxilium aliquod ſpeciale actuale per modum principii, negatur aſſumptum, nam regulariter, & ex communi lege ad habendam præſentiam Dei obiectivam, & ad ſupplendum defectum potentiæ naturalis ſufficit lumen habituale gloriæ, ut dictum eſt *lib. 1. diſp. de Viſione beata*; Et quando etiam totum concederetur argumentum, adhuc nihil contra nos concludit; probaret enim tantum indigentiam talis auxilii actualis in ipſo conceptionis inſtanti ad habendum actus beatificos; at non probaret, quod iſtis iam elicitis adhuc tali auxilio actuali indigeret ab illis actibus beatificis diſtincto ad vitandum malum, & proſequendum bonum, & in bono volito perſeverandum, ad quos actus nos hic negamus neceſſariam eſſe gratiam aliquam actualem per modum principii ab ipſis actibus beatificis diſtinctam, non autem ad ipſos actus beatificos eliciendos.

32 Concludo itaque nullum aliud auxilium actuale excitantis, & adiuvantis gratiæ fuiſſe homini aſſumpto neceſſarium realiter ab actibus beatificis diſtinctum ad eliciendos actus ſupernaturales vitandi malum, & proſequendi bonum; Quod ſi per gratiam excitantem, & adiuvantem intelligeremus actus ipſos beatificos, utique in hoc ſenſu aſſeri poteſt habuiſſe gratiam actualem tam excitantem, quàm adiuvantem, nam Chriſtus perfectiſſimè fuit illuminatus per viſionem beatam, & inflammatus per fruitionem, & amorem beatificum; & quod hoc poſſet tam viſio, quàm fruito gratia excitans vocari; ſimiliter gratia adiuvans, ſi ponatur eadem cum divino concurſu, iam ſupra conceſſum eſt animam Chriſti indiguiſſe ſpeciali auxilio per modum concurſus ad ſuos actus ſupernaturales eliciendos; & in hoc ſenſu Pater Bellutus Collega meus *diſp. 10. qu.* 1. in fine aſſervit Chriſtum habuiſſe gratiam actualem tam excitantem, quàm adiuvantem.

QUÆSTIO SECUNDA.

An cauſa impeccabilitatis Chriſti ſit gratia, an gloria, vel potius unio hypoſtatica.

33 COmmunis Catholicorum ſententia docet Chriſtum Dominum, nec unquam peccaſſe, nec peccare potuiſſe; diſſidium tamen eſt in aſſignanda huius impeccabilitatis radice, ac undè ortum duxerit, an, ſcilicet, ab unione gratuita, & beatifica, an ab hypoſtatica, vel ab omnibus ſimul; Undè quando quæritur an Chriſtus ſit impeccabilis, non eſt diſſidium de re, ſed de cauſa huius impeccabilitatis, nam Doctor in *3. diſt. 2. q. 1. & diſt. 12. qu.* 1. impeccabilitatem Chriſti refert in gloriam, qua Beati de lege ordinaria ſunt impeccabiles, quod 4. *diſt.* 49. *qu.* 6. refeet in divinam præventionem, quia ab omni peccato præſervantur; Secundò refert in gratiæ plenitudinem, qua Chriſtus confirmatus eſt; ne omninò peccaret. Nec refert cauſam in unionem hypoſtaticam, niſi ut in rationem de congruo, propterquam gratiæ, & gloriæ plenitudo debetur Chriſto, undè conſequenter aſtruit de potentia abſoluta potuiſſe Verbum aſſumere naturam humanam abſque eo, quod concederet ſummam fruitionem, & illam in puris naturalibus relinquere, etiam cum concurſu ad utrumlibet parato, & conſequenter cum potentia proxima ad peccandum, quæ adhuc exire poſſet in actũ peccaminoſum. Ex oppoſito omnes Thomiſtæ, ac Recentiores pro radice impeccabilitatis Chriſti utramque aſſignant unionem, ſed præcipuè hypoſtaticam, ad quam dicunt ità neceſſariò conſequi gratiam, & gloriam, ut non potuerit Deus etiam de potentia abſoluta ſtante tali unione ea illi denegare, undè deducunt eſſe ſimpliciter, & abſolutè loquendo incompoſſibilem unionem hypoſtaticam cum aliquo peccato, ac etiam proxima peccandi potentia & hanc proindè eſſe præcipuam impeccabilitatis Chriſti radicem. Veruntamen plures ex Recentioribus nobiſcum ſentire in puncto principaliori huius quæſtionis oſtendam inferius *n.* 64.

ARTICULUS PRIMUS:

Reſolutio Quæſtionis.

DIcendum eſt impeccabilitatem Chriſti proximè, & formaliter oriri ex viſione beata, radicaliter verò, & remotè ex unione hypoſtatica, quæ veluti connaturaliter exigit, ut detur viſio beata humanitati ipſius, adeoquod ex hac unione eſt impeccabilis, non formaliter, ſed virtualiter diſpoſitivè diſpoſitione remota; Ex quo ſequitur humanitatem Chriſti, licet de facto, & ſecundum potentiam Dei ordinariam peccatum non admiſerit, nec admittere potuerit, non repugnare tamen de potentia abſoluta etiam unione cum Verbo conſtante. Ità Scotus expreſsè *3. diſt. 2. q. 1. §. ad argumenta principalia, & diſt. 12. q.* 1. ſequuntur Scotiſtæ omnes, ac Nominales, tam Antiquiores, quàm Iuniores, Rada, Faber, Vulpes, Gallus, Centinus, Poncius, Bellutus, uno Aretino excepto qui Thomiſtarum clamoribus, ac cenſuris perterritus trepidavit timore, ubi non eſt timor, ſiquidem Scoti ſententia; & quoad rem, & quoad modum loquendi recta eſt, & omninò catholica, imò probabilior, & rectior, quàm Thomiſtarum ſententia dicentium humanitatem Chriſti unione cum Verbo conſtante fuiſſe omninò ſimpliciter, & abſolutè impeccabilem, adeout nec de potentia Dei abſoluta peccare potuerit. 34

Primò igitur probo quantum ſpectat ad modum loquendi Scotus, & Scotiſtas in hoc puncto de Chriſti impeccabilitate rectius loqui, quàm Thomiſtæ; quod ita evidenter demonſtro; cùm enim impeccabilitas neget potentiam ad peccandum, aliter de Deo enunciari debet, & aliter de creaturis ut notant Gallus, Faber, & alii Scotiſtæ, & eſt de ſe evidens; cùm Deus ſit naturaliter, & eſſentialiter ipſa ſanctitas, impoſſibile ſimpliciter eſt, ut in eo peccatum reperiatur, ideoque ſimpliciter, & abſolutè impeccabilis dici debet; At verò intellectualis creatura, ſaltem quæ de facto creata eſt, cum ſit ad bonum, & malum vertibilis, ut ait Scotus 2. *diſt. 23. q. unic.* Simpliciter & abſolutè peccabilis dici debet, & eſt communis ſententia Patrum, ita Hieron. tract. de Filio Prodigo dicens *Solus Deus eſt, in quem non poteſt cadere peccatum.* D. Ambroſ. *lib 3. de Spiritu Sancto c.* 19. inquit *omnis creatura peccatorum capacitati obnoxia eſt; Sola autem eſt à peccato immunis & immaculata ſempiterna divinitas.* Ex quo evidenter deducitur, quod ſi peccandi poteſtas à creatura auferatur, vel impediatur; id per aliquod extrinſecum fieri debebit, ac proindè creatura ipſa non ſimpliciter, & abſolutè, ut Deus, ſed ſecundum quid impeccabilis dicetur, ut conceptis verbis dixit Auguſt. contrà Maximum *lib. 3. c. 13. cuique rationali creaturæ præſtatur, ut peccare non poſſit non eſt hoc naturæ propria, ſed gratia Dei*, quarè ſi voluntas aliqua creata impotentiam ad peccandum habet, hoc utique erit ex aliqua gratia divina, qua remota peccare poterit, & ſic hæc impotentia non eſt abſoluta, & ſimpliciter, ſed tantùm ſecundum quid, & in ſenſu compoſitio, nempè illa gratia ſuppoſita, ergo etiam conſtante unione cum Verbo humanitas Chriſti non debet dici ſimpliciter, & abſolutè impeccabilis, ſed tantùm ſecundum quid, & in ſenſu compoſito, hoc eſt ſuppoſito aliquo extrinſeco, quo poſito impediatur, vel tollatur potentia proxima, quàm natura quæcunque creata ex ſe, & intrinſecè habet ad peccandum. Unde etiam admiſſo, ut Thomiſtæ contendunt, quod unio hypoſtatica ſit prima, & præcipua cauſa impeccabilitatis Chriſti, hæc nunquam aliquid maius inferre poteſt, quàm impeccabilitatem ſecundum potentiam proximam, cum hæc ſit ſumma, & maxima quæ voluntati creatæ competere poſſit, quarè cùm de humanitate Chriſti impeccabilitas pronunciatur, ſemper de impeccabilitate creata intelligi debet, non verò increata, quæ proindè ſolam potentiam proximam ad peccandum excludat, non verò proximam, & remotam, ne impeccabilitatem increatam, quæ ſoli Deo competit, cum creata confundamus; Et quamvis in communi modo loquendi de humanitate Chriſti impeccabilitas enunciari ſoleat ſimpliciter, & ſine addito, aut determinatione aliqua, vel modificatione; quia tamen hæc impeccabilitas ſupponitur eſſe creata, illa determinatio *creata* ſatis oſtendit impeccabilitatem illam non eſſe divinam vel increatam, ac proindè non excludentem omnem peccandi potentiam, ſaltem remotam. 35

Confirmatur, quia impeccabilitas humanitatis Chriſti etiam unione cum Verbo conſtante impeccabilitati Dei æquari non poteſt, quia hæc eſt per naturam, illa per gratiam; ergo non poteſt hæc, & illa eiſdem verbis exprimi; at Deus dicitur ſimpliciter, & abſolutè impeccabilis, nec enim amplioribus verbis ſignificari poteſt divina impeccabilitas, quàm ut ſimpliciter, & abſolutè dicatur impeccabilis, & per quamcunque potentiam; ergo cùm impeccabilitas naturæ aſſumptæ etiam unione cum Verbo conſtante ſit longè inferioris ordinis, non poteſt, nec debet eiſdem verbis ſignificari, ut loquuntur Thomiſtæ, 36

miſtæ, ſed tantùm de facto, & ſecundum potentiam Dei ordinariam; Et planè hoc modo Chriſti impeccabilitatem explicuit Apoſtolus ad Hæbreos 7. dicens, *Talis decebat, ut nobis eſſet Pontifex ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus* ubi ponderandum eſt illud verbum *decebat*, non enim dixit oportebat, opus erat, neceſſe fuit &c. Sed data opera dixit *decebat* hoc eſt congruum erat, ut oſtenderet non fuiſſe abſolutam neceſſitatem ſimpliciter ex parte Dei reddendi Chriſtum impeccabilem, ſed ſolam decentiam, & congruitatem; & planè neſcio, qua auctoritate, vel juxtà quam traductionem Cardinalis de Lugo *diſp. 16. ſect. 1.* legat *Oportebat*.

37 Reſpondeo ex eo, quod unio hypoſtatica, vel divinitas, aut perſona Verbi peccatum ipſum excludat, neceſſario ſequi, quod humanitas Chriſti in ſenſu compoſito, & ſtante eius unione cum Verbo per nullam potentiam peccare queat, atque adeò ſimpliciter, & abſolutè dicenda ſit impeccabilis. Sed hęc reſponſio repugnat in terminis, nam ſenſus compoſitus apud Logicos non infert impoſſibilitatem ſimpliciter, & per quamcunque potentiam, ſed impoſſibilitatem ſecundum quid; undè ex hoc, quod prædeſtinatus in ſenſu compoſito non poteſt damnari, non infertur, quod nequeat ſimpliciter, & abſolutè damnari, ſed tantùm ſecundum quid; ergo conceſſo etiam, quod unio hypoſtatica ex ſui natura ſit cum peccato incompoſſibilis, & peccatum excludat, non ritè hinc infertur, quod ipſa conſtante humanitas aſſumpta ſit impeccabilis ſimpliciter, & abſolute loquendo, ſed tantùm ſeundum quid. Tùm quia, quando etiam concederetur, unionem hypoſtaticam eſſe cum peccato ex ſui natura incompoſſibilem, neque adhuc hinc rectè infertur incompoſſibilem pariter eſſe cum potentia etiam proxima peccandi; aliud enim eſt loqui de actu ipſo peccati, & aliud de potentia ad illud, nam etiam gratia habitualis dicitur eſſe cum peccato incompoſsibilis, non tamen cum potentia proxima peccandi, & ratio eſt, quàm innuit Doctor *3. diſt. 2. q. 1. H* quia actus primus non repugnat oppoſito actus ſecundi contingenter cauſabilis; ergo incompoſsibilitas peccati cum unione hypoſtatica non rectè infert incompoſsibilitatem ejuſdem cum potentia proxima ad peccandum. Tùm tandem, quia ſimpliciter, & abſolutè loquendo falſum eſt in ſententia noſtra, quod gratia, unio hypoſtatica, & peccatum phyſicè, & ex natura rei opponantur, quia ſolùm moraliter, ac demeritoriè repugnant; falſum eſt item, quod phyſicè, & ex natura rei hominem ſanctificent, hoc enim eis convenit tantùm ex ordinatione divina, & quidem eo ordine, ut gratia ſanctificet formaliter, ac veluti in actu ſecundo, unio autem hypoſtatica radicaliter, & virtualiter, ac veluti in actu primo, & quidem in hoc ordine perfectius, quàm gratia in ſuo ordine; quapropter unio dicitur ſanctitas ſubſtantialis, gratia verò ſanctitas accidentalis, & hoc quidem totum partim conſtat ex dictis, & partim conſtabit ex dicendis.

38 Secundò ulterius probo etiam quoad rem non repugnare de potentia Dei abſoluta peccatum cum unione hypoſtatica, vel ſaltem potentiam proximam ad peccandum; vel enim hoc eſſet, quia hypoſtatica unio ſit forma ipſa formaliter humanitatem ſanctificans, eamque impeccabilem reddens; vel quia neceſſariò, ac indiſpenſabiliter annexam habet beatitudinem, quæ neceſſariò peccatum excludit, & potentiam peccandi proximam; primum cumulatè exploſum eſt *q. præced.* nec poteſt dici ſecundum, quia unio hypoſtatica, licet ſit de facto unita cum beatifica, & de communi lege, abſolutè tamen loquendo ab ea ſeparari poteſt, quod ſic oſtendo; vel enim hæc neceſſaria, ac indiſpenſabilis connexio ex eo ortum duceret, quia ipſa unio hypoſtatica ſit forma humanitatem aſſumptam formaliter beans, & hoc non; quia unione beatifica natura mediis potentiis eſſentiæ divinę unitur, tanquam primario obiecto beatifico in actu ſecundo; unio verò hypoſtatica ad Verbum, non ad eſſentiam immediatè terminatur; & rurſus in tota natura immediatè fundatur, non in aliquo actu ſecundo ipſius naturæ, ac deniqueſpectat ad actum primum, non ad ſecundum, quia eſt ad ſubſiſtendum, non ad operandum; ergo unio hypoſtatica de ſua formali ratione naturam aliquam beare minimè poteſt; Vel id eſſet, quia licet una unio ſit forma ab alia diſtincta, tamen una neceſſariò, ac indiſpenſabiliter aliam concomitatur, nimirum beatifica hypoſtaticam, & neque hoc dici poteſt, quia ut arguit Doctor *3. diſt. 2. quæſt. 1. lit. C.* prius ut prius, ſeu ex ratione prioris poteſt eſſe ſine poſteriori abſque contradictione, & hoc quando nulla eſt neceſſaria eorum connexio, aliter non ſaluaretur prioritas unius ad aliud, ut conſtat ex definitione prioris *5. Metaphyſ. 16.* ſed unio hypoſtatica eſt prior beatifica, quia unio hypoſtatica eſt ad perſonari, & ad actum primum, beatifica eſt ad operari, & ad actum ſecundum, actus autem primus eſt prior ſecundo, neque habet neceſſariam connexionem cum illa, itaut de potentia abſoluta non ſit à Deo impedibilis, nam eadem ratione aſſeri poſſet beatitudinem corporis neceſſariam habere connexionem cum beatitudine animæ, & cum ipſa hypoſtatica unione, qui ad eas quaſi connaturaliter conſequitur; nec ſanè videtur quam maiorem connexionem habeat beatitudo animæ cum hypoſtatica unione, quam beatitudo corporis cum animæ beatitudine; ſi ergo connexio inter iſta poteſt à Deo impediri, etiam inter illa poterit ſuſpendi.

39 Reſpondeo ex utroque capite impedimentum procedere, nempè & ex ipſa unione hypoſtatica in ſe ſpectata, quia hęc eſt formalis ſanctitas, cum qua magis pugnet peccatum, quam cum gratia adoptionis; ac etiam ex neceſſaria connexione, quem habet cum beatitudine, quæ peccatum excludit, ac etiam potentiam proximam ad peccandum. Sed Contrà, quia *q. præced.* iam oſtenſum eſt, unionem hypoſtaticam non eſſe ſanctitatem formalem, ſed tantùm perſonalem, quatenus confert ipſum ſubſiſtere divinum; atque ideò confert ſolùm perſonalem dignitatem, non autem naturam, & formam gloriæ proportionatam, quàm confert gratia habitualis, nec proximam operandi facultatem, quam confert gratia, & charitas, hic enim eſt effectus formalis, & phyſicus ipſius gratiæ, vel charitatis, quem Verbum humanitati unitum non poteſt per ſeipſum formaliter ſupplere; Et hoc quidem expreſsè deducitur ex modo loquendi in pſ. 44. ubi Pſaltes aſſignans cauſas ſanctitatis, & benedictionis humanitatis aſſumptę, unionem hypoſtaticam aſſignat pro radicali, & remota, gratiam verò habitualem pro formali, & proxima, dùm inquit *ſpecioſus forma præ filiis hominum*, quibus verbis inſinuat pulchritudinem humanitatis Chriſti ob ejus unionem ad Verbum iuxtà expoſitionem Auguſtini ibidem; ſubdens deindè *diffuſa eſt gratia in labiis tuis* innuit gratiæ habitualis infuſionem concomitantem hypoſtaticam unionem, & tandem aſſignare volens formalem, & proximam rationem ſanctitatis, & benedictionis ejus addit *proptereà benedixit te Deus in æternum* cùm enim particula *proptereà* ſit cauſalis, ſignificat cauſam proximam, & formalem talis benedictionis fuiſſe gratiam ipſam habitualem, ut exponit Auguſtinus dicens *proptereà benedixit te Deus in ęternum. quarè? propter gratiam; illa enim gratia quo pertinet? ad regnum Cœlorum*, quo nil clarius ſanè dici poterat ad noſtrum propoſitum oſtendendum, quod cauſa formalis, & proxima ſanctitatis in Chriſto eius humanitatem ordinantis ad regnum Cœlorum, non fuit hypoſtatica unio, ſed gratiæ diffuſio in labiis eius, quamvis enim ſpecioſa facta fuerit per unionem ad Verbum, hæc tamen non fuit ſpecioſitas, & pulchritudo animam proximè, & immediatè ad gloriam ordinans, ſed tantùm remotè, & radicaliter.

40 Deindè neque ex alio capite impedimentum procedere poteſt; quamvis enim gratis concedamus neceſſariam connexionem beatitudinis cum unione hypoſtatica de facto, ac per potentiam Dei ordinariam, negamus tamen hanc connexionis neceſſitatem nec per potentiam Dei ſuperari poſſe, ac impediri; ſic enim aliqua duo dici ſolent neceſſariò, ac indiſpenſabiliter connexa, vel ob realem identitatem inter ſe invicem, ut inter genus, & ſpeciem; vel quia ſunt correlativa, vel quia unum eſt cauſa intrinſeca, & neceſſaria alterius, ut partes unitæ reſpectu totius; at beatifica unio non eſt realiter identifica cum hypoſtatica, nec ſe habent ut correlativa, ut patet ex terminis, nec unio beatifica eſſentialiter ab hypoſtatica dependet, aliter ſine illa reperiri non poſſet; ergo nulla poteſt aſſignari ratio talis neceſſariæ connexionis, ut à Deo de potentia abſoluta impediri non poſſit; & intantùm modo ſunt neceſſariò connexa, quatenus ſpectata Dei potentia ordinaria decrevit Deus naturę aſſumptę ſummam charitatem concedere, & ſummam fruitionem, & de facto neceſſariò impeccabillitatem inducit in Chriſto, ſicut in cæteris beatis, & conſequenter de facto unio hypoſtatica eſt etiam radix impeccabilitatis remota, quatenus eſt radix ſummæ fruitionis, quæ immediatius excludit peccatum, utpotè pertinens ad actum ſecundum, ubi hypoſtatica ad actum primum ſpectat; Imò quando etiam dicimus beatitudinem in Chriſto, & cæteris beatis eſſe cauſam proximam, & formalem impeccabilitatis, hoc adhuc intelligendum non eſt ex ſua ratione intrinſeca, & formali, quaſi voluntas cum fruitione Dei neceſſitetur, nec circa Deum clarè oſtenſum maneat libera, ut inquiunt Thomiſtæ; quia ſi intrinſeca voluntatis natura ſpectetur, etiam circà Deum clarè viſum retinet libertatem exercitii, ut dictum eſt *diſp. 7. de Anima quæſ. 3 art. 2. & 3.* ex Scoto *4. diſt. 49. quæſt. 6.* ubi inquit voluntatem Beati ſolum ab extrinſeco neceſſitari, ſcilicet à divina voluntate concurſum denegante ad actus peccaminoſos, & continuante ad actus bonos, & honeſtos; undè ſimpliciter, & abſolutè loquendo poſſet Beatus peccare potentia proxima, ſi Deus concurſum haberet paratum ad utrumlibet; undè concludimus unionem quoque beatam eſſe impeccabilitatis radicem tum in Chriſto, tùm in cæteris beatis regulariter, ac de communi lege non autem de potentia abſoluta. Et tandem, quando etiam concederemus unionem hypoſtaticam eſſe formalem ipſam ſanctitatem, ac etiam unionem beatificam eſſe cum ea neceſſariò connexam indiſpenſabiliter; adhuc

huc haberemus intentum; id enim ſolùm ſalvaret, quod peccatum manere non poſſet cum humanitate, quamdiù eſt Verbo hypoſtaticè unita, & cum Deo beatificè coniuncta; non tamen ſalvat, quin ita committi poſſit ab humanitate aſſumpta, ut ſimul eſſet cauſa deſtructiva unionis tam hypoſtaticæ, quàm beatificæ, ſicut de facto licet peccatum cum gratia habituali manere non poſſit, committi tamen poteſt ab homine in gratia exiſtente; itaut ſimul ſit cauſa deſtructiua gratiæ habitualis.

41 Tertiò probatur, quia voluntas creata Chriſti eſt eiuſdem rationis, & ſpeciei cum noſtra, & conſequenter peccare poteſt ſicut noſtra, niſi determinetur neceſſariò per aliquid aliud ad ſemper rectè agendum; ſed nullum tale aſſignari poteſt ità neceſſariò illi conveniens, vel illam ita neceſſariò determinans, ut nec de potentia abſoluta peccare poſſit; ergo &c. Maior patet, probatur minor, quia vel id eſſet unio hypoſtatica per ſe ſumpta, vel aliquid aliud ei neceſſariò connexum; non ipſa unio, quia non poſſet ipſam determinare ad non peccandum, niſi quatenus vel ipſa non eſſet cum peccato compatibilis, vel quatenus per modum cauſæ effectivæ neceſſariò produceret actum cuicunque peccato oppoſitum, vel quatenus per modum formæ neceſſariò voluntatem ad actum peccato oppoſitum determinaret, ut Poncius *loc. cit.* diſcurrit; at ipſa unio ſecundum ſe non eſt forma cum peccato incompatibilis, quia ſubiectatur immediatè in tota humanitate peccatum verò in voluntate, quæ verò diverſa habent ſubiecta, inter ſe incompatibilitatem non habent, quia hæc pœnes idem attenditur ſubiectum; Neque eſt cauſa effectiva alicuius actus voluntatis, nec voluntatem formaliter determinat, ſiquidem nec in voluntate ſubiectatur, nec neceſſariò per intellectum proponitur, ergo nec effectivè, nec formaliter eam determinat. Prætereà nihil de facto cum unione connexum poteſt voluntatem neceſſitare ſimpliciter, & abſolutè loquendo, ne peccet, vel peccare poſſit, quoniam huiuſmodi connexa ſunt viſio beata, ac fruitio, & negatio concurſus divini ad peccandum; at licet iſta ſint de facto connexa, nulla tamen ratio connexionis abſolutè, & omninò indiſpenſabilis aſſignari poteſt, quia nec ſunt prædicata eius eſſentialia, vel proprietates eius metaphyſicæ, nã poſſet eſſe ſine ipſis, ſi aſſumeretur natura lapidis; nec tandem negatio divini concurſus obſtare poteſt, quia hæc negatio eſt Deo libera, nec poteſt ab ulla neceſſitari creatura ad eam habendam, unio autem hypoſtatica aliquid creatum eſt; ergo nullum principium aſſignari poteſt, quod ſimpliciter, & abſolutè impediat, quominus Chriſtus peccet, vel peccare poſſit de potentia abſoluta. Tùm quia ſi aliquod talę principium ab adverſariis aſſignaretur, tota poſſibilitas ad peccatum à voluntate creata Chriſti excluderetur per aliquid, quod voluntatem illam ad bonum prædeterminaret; at hic modus affinis eſt ei, quem etiam Scotus aſſignat; ſed adhuc Scotus melius theologizatur, quia maiorem adſtruit in Chriſto libertatem, dùm inquit, quod licet ex tali prædeterminatione tollatur à Chriſti voluntate potentia proximè ad peccandum de potentia ordinaria, & de communi lege, non tamen de potentia abſoluta.

42 Quartò probatur, quia oppoſita ſententia nec firmum habet fundamentum in ratione, neque in Patrum auctoritate, non quidem in ratione, quia in aſſignanda ratione pro ſtabilienda Chriſti impeccabilitate etiam de potentia Dei abſoluta, Adverſarii non conveniunt, & unuſquiſque ſuam profert alias confutando, ut conſtabit *art. ſeq.* Neque etiam in Patrum auctoritate, quia ut benè Gallus advertit prælud. ad *diſt. 12. qu. unic. ſect. 1. cap. 4.* omnes fermè Patres, qui pro oppoſita ſententia allegari ſolent, contrà Appollinarem ſcripſerunt mentem humanam in Chriſti humanitate negantem, cùm enim de ſe ad malum ſit vertibilis, timebat ne eam in Chriſto admittens peccatum quoque in eo admitteret; vel ſaltem peccandi periculum ad quem errorem eliminandum Patres dixerunt ex unione humanitatis Chriſti cum Verbo, & intima divinitatis præſentia, ut eſt ignis ferro ignito, & color lanæ coloratæ redditam fuiſſe eius mentem peccato ſuperiorem, & à poteſtate peccandi alienam. Circa quem Patrum loquendi modum duo conſideranda ſunt, ut ſuprà inſinuatum eſt. *num.* 19. primum eſt præcipuum eorum intentum fuiſſe ad illum errorem excludendum, Chriſtum nunquam peccato obnoxium extitiſſe, quod ſi interdum etiam excludant peccandi potentiam, planè non niſi de potentia ordinaria, & de communi lege locuti ſunt, non autem de abſoluta, cùm de hac nunquam, vel ſaltem rariſſimè Patres loquantur. Alterum eſt, quod dùm Chriſti impeccabilitatem in unionem referunt hypoſtaticam, aut divinitatem, ſeù Verbi perſonam intimè humanitati præſentem, non explicant an unio hypoſtatica id formaliter per ſe ipſam immediatè præſtiterit, nùm potius virtualiter, & cauſaliter per dona ſecum invecta in naturam aſſumptam; ſed ad illam in confusò rationem recurrunt, quomodocunque illa ſit, ſive ratio formalis, & immediata, ſive tantùm radix, & principium mediatum, & remotum; negotium Theologis relinquentes ſubtilius id inquirendi.

43 Quintò, Cùm itaque oppoſita ſententia adeò debilia habeat fundamenta, ut magis adhuc mox patebit, non video ex quo capite anſam ſumpſerint eius Auctores tam audacter in noſtram debaccandi, ut alii impiam, ac temerariam appellaverint, ut Suarez; alii ſcandaloſam; ut Cabrera; alii hæreticam, & blaſphemam, ut Capreolus; alii Iudaicam hæreſim, ut Palatius, & alii ad minus piarum aurium offenſivam, horret ſiquidem Chriſtianorum auditus has, & conſimiles propoſitiones *Chriſtus per abſolutam potentiam peccare poteſt, Chriſtus peccabilis eſt ſimpliciter, & abſolutè loquendo*. Hæc enim omnia ſcommata ſunt, & dicteria abſque ullo prorſus fundamento prolata, nam omnia Patrum teſtimonia facillimam habent explicationem ex iam prę miſſa doctrina, ut apud Gallum videri poteſt, qui ea ſingillatim refert, & explicat; & ad ſummum validius teſtimonium quod urgeri poſſit, eſt illud, quod afferri ſolet ex 6. Synodo act. 8. ubi ſtatuitur *Chriſtum habuiſſe voluntatem humanam impeccabilem*. Porrò impeccabilitas non modo negat actum peccati, verùm etiam potentiam ad peccandum, ut per ſe patet; Cæterum etiam hoc teſtimonium facillimæ eſt explicationis, quod talem impeccabilitatem definiat de potentia tantùm ordinaria, non verò abſoluta, vel ratione beatitudinis, non autem unionis præcisè; quam explicationem etiam Amicus ſufficientiſſimam eſſe fatetur, eſtò hęc ſolum proferat teſtimonium pro oppoſita ſententia, ut omnium validius, & variis replicis ſtabilire nitatur; Ad illud verò, quod noſtra ſententia ſit piarum aurium offenſiva, optimè occurrit Gabriel. *3. diſt. 12. q. unic. art. 2.* quod eſtò aures indocti, & ignorantis vulgi per eas propoſitiones videantur offendi *Chriſtus ſimpliciter, & abſolutè, vel de potentia Dei abſoluta peccare potuit*, non ob id à ſua ſententia doctus Theologus removeri debet, qui ſcit aliam eſſe Dei impeccabilitatem, & aliam creaturæ; imò cum docti magis offendantur oppoſitas audiendo propoſitiones, quod *Chriſtus ſimpliciter, & abſolutè, vel per quamcumque potentiam eſt impeccabilis*, quia ſuſpicabuntur tribui Chriſto ſecundum naturam humanam impeccabilitatem æqualem impeccabilitati Dei, magis ab his propoſitionibus abſtinere debemus, quàm ab illis, ut ſupra explicatum eſt *n. 35. & 36.*

44 Sextò deindè ſi quis hæc incommodorum, & abſurdorum ſpectra, vel terriculamenta à Thomiſtis exaggerata, & iactata grandine frequentiora timeret, poſſet Scoti ſententiam tueri, ut facit Aretinus *3. diſt. 12. q. 1. art. 4.* ubi inquit, quod ſicut beati taliter ſunt impeccabiles, ut ſi de potentia Dei abſoluta Deus non cooperaretur cum illis ad bonum, poterunt peccare, ita tamen, quod non ſtabunt ſimul beatitudo, & peccatum, ſed adveniente peccato, ceſſaret beatitudo; ſic etiam contingeret in hoc caſu, quod ſi natura unita hypoſtaticè ſit ſine gratia, & poſſit peccare, ita contingeret peccatum, quod non ſimul ſtarent peccatum, & unio hypoſtatica, ita quod in ſenſu compoſito non manerent unio hypoſtatica, & peccatum; Poſſet inquam, fortè etiam in hoc ſenſu Scoti ſententia defendi, ſiquidem ex hoc dicendi modo non ſequitur impeccabilitatem provenire ex unione hypoſtatica præcisè ſumpta; gratia enim repugnet peccato, itaquod non ſtant ſimul de facto, & tamen non ob id habens gratiam dicitur impeccabilis, nam etiam iuſti dicuntur peccatores vel peccabiles etiam de potentia proxima; adhuc ergo ſalvari poteſt juxtà hunc dicendi modum, quod impeccabilitas non proveniat ex unione præcisè, quod humanitas aſſumpta ſine aliorum donorum concomitantia eſſet peccabilis potentia proxima, & adhuc non ſtabit peccatum cum unione, licet ſtet potentia proxima peccandi, ſiquidem hæc non tantam dicit imperfectionem, quantum actus ipſe peccaminoſus cum non ſit culpabilis; Dixi *fortè* poſſe adhuc in hoc ſenſu Scoti ſententiam defendi, quod cum unione hypoſtatica præcisè ſumpta poſſit ſtare de potentia Dei abſoluta proxima poteſtas ad peccatum, licet non ipſum actuale peccatum. Quia abſolutè loquendo in vera, & genuina Scoti ſententia falſum eſt gratiam, peccatum, & unionem hypoſtaticam phyſicè inter ſe opponi, quia ſolùm demeritoriè, & moraliter repugnant, nec gratia ex natura rei hominem reddit ſanctum, & Deo carum, ſed tantum ex ordinatione divina, idemque dicendum de unione hypoſtatica, quod non ex natura ſua formaliter, ſed ex divina ordinatione ſit cum peccato incompoſſibilis de facto, & de potentia ordinaria: Alioquin de potentia abſoluta hæc unio eſt cum peccato compoſſibilis, quo caſu inquiunt Scotiſtæ, quod non ſanctificaret humanitatem ſecundum totum eſſe, nempè eſſentiale, & perſonale ſimul, ſed ſecundum eſſe perſonale tantùm; at ſecundum eſſe eſſentiale humanitas illa cum peccato eſſet Deo inviſa, & obiectum odii; aiuntque non implicare idem ſub diverſa ratione eſſe obiectum oppoſitorum actuum, ſcilicet, amoris, & odii, ſicut ſi Angelus humanitatem peccatricem aſſumeret, hic homo aſſumptus ab Angelo eſſet

eſſet Deo dilectus ſecundum eſſe perſonale Angelicum, & ſecundum eſſe humanum inviſus.

45 Septimò, minimè tamen placet, quod ait Aretinus *loc.cit.* ſe non credere fuiſſe Scoti opinionem, quod Chriſti humanitas non fuerit impeccabilis ex vi unionis tantùm, ſed tantùm id aſſerviſſe de humanitate aliqua, quam Deus poſſet ſibi unire hypoſtaticè; aliter autem inquit, de humanitate Chriſti diſcurrendum eſt, & firmiter aſſerendum, quod peccare non potuit ex unione hypoſtatica præciſè ſumpta, eo quod hic Chriſtus Dominus eſt caput totius Eccleſiæ, & exemplar, cauſaque meritoria noſtræ prædeſtinationis; fuit etiam primus in intentione Dei intendentis manifeſtare ſua divina attributa, potentiam, ſcilicet, ſapientiam, & bonitatem; atque ità contrà hanc Dei intentionem eſſet, ipſum ut ſic, gratiſſimum non eſſe, & per conſequens impeccabilem; licet enim ſi non haberet gratiam, ejus opera humanitatis eſſent merè naturalia, tamen adhuc poterant à Deo acceptari ad tantum meritum, ſicut modò cum gratia: Quarè Auctor iſte concludit, quod Chriſtus Dominus, quem Deus poſuit caput ſuper omnem principatum, & poteſtatem, etiamſi ſibi non daretur ſumma gratia, quæ data eſt, adhuc eſſet gratiſſimus, & Deo acceptus, & impeccabilis ex ſola ratione unionis hypoſtaticæ, quod ait expreſsè deduci ex pluribus Sanctorum auctoritatibus.

46 Cæterum, cùm quærit Scotus, an ſi Verbum aſſumpſiſſet humanitatem in puris naturalibus, num ſufficeret ſibi illa unio hypoſtatica, & impeccabilis permaneret, an potius ex defectu gratiæ, & gloriæ eſſet peccabilis, atque actu peccare poſſet, notum eſt lypis, atque tonſoribus hoc dubium de Chriſti humanitate moviſſe, & non de aliqua alia humanitate, quam Deus ſibi unire potuiſſet, undè talis intrepretatio opinionis Scoti eſt merum effugium. Tùm quia vanum eſt etiam, quod inquit, hunc Chriſtum etiam ex vi ſolius unionis fuiſſe impeccabilem, quia eſt caput totius Eccleſiæ, & exemplar, ac meritoria cauſa noſtræ prædeſtinationis; undè implicat, ut ſic gratiſſimum non eſſe, & per conſequens impeccabilem licet nullam haberet gratiam habitualem; Hæc, inquam, eſt mera vanitas quia gratia capitis, ut notat Faber *diſp.*28. non eſt aliquod genus gratiæ, vel aliqua forma diſtincta à gratia habituali Chriſti, ſed eſt eadem omninò, quod gratia habitualis Chriſti creata, & illi infuſa ab inſtanti ſuæ conceptionis; hæc enim una, & eadem gratia, quatenus ſanctificat animam Chriſti, & eſt ipſi principium operandi meritoriè, dicitur gratia habitualis, & ſingularis perſonæ; quatenus verò eſt principium ſanctificandi alios homines, dicitur gratia capitis; gratia enim capitis eſt, quæ influit in membra ſanctitatem, & Juſtitiam; implicat ergo in terminis, quod hic Chriſtus Dominus eſſet caput totius Eccleſiæ, ut modò eſt, & non haberet gratiam habitualem, quam modò habet, quia hæc modo non eſt diſtincta à gratia capitis. Tùm quia non negamus, quod ſi Verbum naturam aſſumpſiſſet ſine gratia, & in puris naturalibus potuiſſet Deus ejus opera naturalia acceptare ad tantùm meritum, ſicut modò cum gratia per ſolam extrinſecam acceptationem, ut conſtat ex dictis *num.* 17. imò etiam ibi dicimus facere potuiſſe, quod ipſa unio hypoſtatica formaliter ſanctificaret humanitatem aſſumptam, & eodem prorſus modo, quo gratia habitualis; quo dato caſu concedimus ad hunc effectum ſanctificationis ſolam unionem hypoſtaticam fuiſſe ſufficientem, nec gratiam habitualem fuiſſe neceſſariam; Sed quæſtio eſt de unione hypoſtatica ex natura ſua conſiderata, & ſecundum ſuam rationem formalem; in hoc enim ſenſu conſideratam dicimus ſe ſola ſufficientem non eſſe ad ſanctificationem, & impeccabilitatem Chriſti ex integro, & totaliter inducendam, ſed tantùm inchoatè, & per diſpoſitionem remotam, quatenus ſuaptè natura petit de congruo, & per quandam convenientiam, & connaturalitatem, alia dona ſupernaturalia concomitantia, quibus homo regulariter reddi ſolet ſanctus, & impeccabilis, ut ſunt gratia conſumata, & gloria.

47 Poſtremò probatur noſtra ſententia ratione veluti a priori, quam acutè innuit P. Bellutus Collega meus loc. cit. datur modo de facto potentia phyſica peccandi in Chriſto ſaltem remota, ut concedit Morandus *tract.* 1. *de Incarn. quæſt.*36. & alii quamplures ex Adverſariis, quod quidem rationaliter negari non poteſt, quia liberum arbitrium finitum, & defectibile eſt potentia qua homo peccat, hoc autem remanſit in Chriſto, quia ejuſdem omninò rationis, ac in cæteris hominibus: ergo neque repugnaret de poſſibili ſimplex potentia proxima; probatur conſequentia, ratio cur potentia remota peccandi in Chriſto non repugnat, eſt quia illa potentia convenit naturæ ex finitate & limitatione propria, quæ tolli nequit, niſi etiam totaliter creata voluntas deſtrueretur: ergo idem quoque diceretur in noſtro caſu de poſſibili, quia ſuppoſito concurſu parato ex parte Dei ad utrumlibet, reſultaret in Chriſto potentia proxima peccandi ex finitate naturæ, ſeù illa potentia peccandi, quæ modò eſt remota ex negatione talis concurſus parati, ſicut eſt in quolibet Beato, fieret proxima ex ſuppoſitione talis concurſus, quia potentia proxima à remota differt extrinſecè duntaxat ex connotatione divini concurſus parati. Confirmatur, quia quando etiam diceremus peccatum ipſum eſſe incompoſſibile cum unione hypoſtatica, hoc tamen de potentia proxima ad peccandum dici non deberet, quoniam potentia proxima ad peccandum non eſt culpabilis, quia ſtat cum gratia; cum ergo tantam imperfectionem non dicat, quantam peccatum involuit, nulla apparet ratio, cur repugnet cum unione hypoſtatica, ſicut de facto non repugnat cum gratia. Denique talis potentia proxima peccandi in Chriſto, dato caſu eſſet adhuc cum minori imperfectione, quàm ſit in cæteris juſtis, & confirmatis in gratia, ac etiam in ipſis beatis, ſi eis non denegaretur concurſus paratus ad utrumlibet, uti de facto negatur; quia unio hypoſtatica adhuc in eo caſu eſſet forma diſponens neceſſitate convenientiæ naturam illam, ut ſumma gratia perfundatur, ac Deo fruatur, atque ut divina voluntas quoad omnes ejus actus ſemper aſſiſtat, qua aſſiſtentia impeccabilis redditur, quam diſpoſitionem alii beati, & confirmati in gratia non habent; dixi autem unionem hypoſtaticam ad hæc omnia de congruo tantùm, ac neceſſitate ſolius convenientiæ diſponere, quia neceſſitas illa non eſt ſimpliciter omninò indiſpenſabilis, quia abſolutè non neceſſitat Deum ad dandum illi humanitati ſummam gratiam, & fruitionem, ut putant Thomiſtæ, ſed neceſſitate tantùm convenientiæ, & congruentiæ.

ARTICULUS SECUNDUS.

Rationes Thomiſtarum ſolvuntur, ac retorquentur.

IN oppoſitum Primò adducunt Thomiſtæ innumera Patrum 48
teſtimonia, quæ ſingillatim referre nimis operoſum eſſet, præſertim cum ſingula videri poſſint apud Gallum *loc.cit. cap.*6. ponderata, atque ſoluta; Tùm quia unica ſolutio omnibus adaptatur, ut jam diximus, cùm enim in nulla auctoritate exprimatur, quod unio ſola ſecundum ſe humanitatem Chriſti reddat impeccabilem, ſed confusè de ipſa loquantur cum cæteris donis ipſam concomitantibus, dicendum eſt eos non referre Chriſti impeccabilitatem in ſolam unionem, ſed ſimul ſumptam cum aliis donis eam conſequentibus; Quod ſi interdum ſoli unioni eam adſcribere videantur, hoc intelligendum erit exigitivè, & radicaliter quatenus unio connaturaliter exigit, quod humanitas aſſumpta haberet alia quoque principia ab unione diſtincta, quibus redderetur formaliter impeccabilis; Quod ſi tandem inveniantur aliqui Patres abſolutè pronunciantes de Chriſto quod fuerit impeccabilis, vel quod peccare non potuerit, hoc debet intelligi de potentia ordinaria, non abſoluta, ac de communi lege, ſiquidem in hoc tantùm ſenſu cum Hæreticis diſputabant, atque Judæis; ac tandem intelligi debent de impeccabilitate creata, & quæ ſit inferioris ordinis ad impeccabilitatem divinam, & increatam juxtà dicta *n.*35. *&* 36. ac etiam *num.* 43. id enim ſatis eſt ad convincendum errorem Hæreticorum, qui Chriſtum peccato obnoxium faciebant.

Secundò arguunt ratione, quæ potiſſima cenſetur ab Ad- 49
verſariis præſertim Vaſquez, & Lugo: gratia unionis hypoſtaticæ eſt quædam ſanctitas ſubſtantialis in humanitate Chriſti, & altioris ordinis, quam ſit ſanctitas gratiæ habitualis; at peccatum nequit cum ſanctitate conſiſtere; ergo &c. Confirmatur, quia hinc manifeſta ſequeretur implicantia, quod, ſcilicet, natura humana eſſet ſancta ratione unionis hypoſtaticæ, & non eſſet ſancta, ratione peccati, & quod deberetur ipſi viſio beatifica, & non deberetur.

Reſpondeo primò, peccatum non excludere neceſſariò ſanctitatem ſubſtantialem, quam ſecum ex natura rei affert hypoſtatica unio, quæ non eſt ſanctitas alia, quàm conjunctionis cum perſona divina, & ratione cujus debetur ei magna reverentia, etiamſi, natura aſſumpta peccatrix eſſet, vel irrationalis; quo autem ſenſu dicatur eſſe ſanctitas altioris ordinis, quam ſit ſanctitas gratiæ habitualis, jam declaratum eſt ſupra *num.*20. & quale jus dicatur ſecum afferre ad beatitudinem pariter dictum eſt *num.* 11. non enim intelligi debet de jure integro, & formali, ſed tantum inchoato, & radicali; Deindè ſi concedatur ſanctitatem unionis phyſicè peccato opponi, & ab eodem excludi, adhuc argumentum nil probat, vel adſummum probat unionem hypoſtaticam eſſe cùm peccato incompoſſibilem, non verò cum proxima peccandi potentia, ut dictum eſt *num* 37. Vel denique ſolùm probat peccatum, & unionem non poſſe ſimul conſiſtere, alioquin ſequeretur illa implicantia, quod humanitas aſſumpta eſſet ſancta, & non ſancta, grata, & ingrata; non tamen probat humanitatem Verbo unitam non poſſe peccare, & peccando privari ſanctitate unionis hypoſtaticæ, ſicut homo juſtus poteſt peccare, & peccando ſanctitatem ammittere.

50 At replicant aliqui, ut præfatam rationem defendant, ideò non poſſe Chriſti humanitatem Verbo unitam peccare, etiamſi per peccatum unio eſſet diſſolvenda, quia ſanctitas, qua ſanctificatur Chriſti humanitas à perſona Verbi, tanta eſt, ut nedùm excludat peccatum, ſed etiam omnem potentiam peccandi, quia hæc ſanctitas eſt omnium perfectiſſima, quæ in genere ſanctitatis participatæ excogitari poteſt; quarè ad eam pertinet, nedum omne peccatum excludere, ſed etiam peccandi potentiam, alioquin in genere ſanctitatis participatæ excogitari poſſet perfectior quæ nimirum non ſolùm excluderet peccatum, ſed etiam peccandi potentiam tam de potentia ordinaria, quàm abſoluta.

Reſpondeo ſatis conſtare ex dictis *diſp.*1.*n.*44. & rurſus in hac ipſa *diſp.n.*20. falſum eſſe, quod ſanctitas, & divinitatis participatio, quam ſecum fert unio hypoſtatica, ſit omnium perfectiſſima in omni genere abſolutè loquendo, licet enim in uno genere hæc ſit maior, quam ſit ſanctitas, quæ habetur per gratiam, & gloriam, in alio tamen genere eſt minor; & propriè loquendo una nequit dici maior, vel minor alia, nec fieri poteſt comparatio inter illas, quia ſicut ſunt uniones alterius, & alterius rationis, ita ſecum afferunt ſanctitates alterius, & alterius rationis, quæ proindè non ſunt propriè inter ſe comparabiles, ut ibi dicebam ex Scoto 3.*diſt.*2.*q.*1.*ad* 1. Deindè cùm dicunt ſanctitatem quia ſantificatur humanitas Chriſti à perſona Verbi, tantam eſſe, ut nedùm omne peccatum excludat, ſed etiam omnem peccandi potentiam; ſi intelligatur ita, ut excludat omnem potentiam phyſicam etiam remotam, falſum eſt omninò, quia hæc tolli nequit, niſi voluntas ipſa creata deſtruatur, ſiquidem talis potentia phyſica remota peccandi in ipſa finitate, & limitatione creatæ voluntatis radicatur; ut dictum eſt *n.*47. ſi verò intelligatur de potentia proxima; negatur hanc quoque non poſſe de potentia Dei abſoluta manere cum humanitate Verbo unita, quoniam ut eodem *n.*147. dictum eſt, talis peccandi potentia in ſua ratione formali nullam includit moralem imperfectionem repugnantem naturæ Verbo unitæ, quia non eſt culpabilis, cùm de facto ſtet cum gratia; omnis enim moralis defectus à libera voluntate operantis neceſſariò dependet; phyſica autem peccandi potentia nullo modo dependet à libera voluntate humanitatis aſſumptæ, cùm illam pænitus antecedat, & præſertim dependeat à concurſu Dei parato ad utrumlibet; talis enim indifferentia concurſus potentiam illam peccandi voluntati creatæ innatam, facit de remota proximam; undè nullo modo poſſet talis potentia ut moralis defectus imputari humanitati, cùm illam à Deo accipiat abſque ullo ſuo libero conſenſu. Plura habet Arraga pro defenſione huius rationis *diſp.*34.*ſect.*4.*ſub ſect.*3. quibus facilè occurritur ex dictis.

51 Tertiò Suarez, Amicus, Averſa, Beccanus, & alii, qui præcedenti rationi non ſatis fidunt, ſic arguunt; ſi humanitas aſſumpta peccaret, vel peccare poſſet, ſequeretur, quòd nedùm denominativè, & per accidens, aut per communicationem idiomatum peccare Deus diceretur, ſicut dicitur mori, ſed etiam propriè, immediatè, & per ſe ſecundum divinam naturam, ſicut peccaret Deus, ſi per impoſſibile mentiretur; at hoc horret auditus; ergo &c. probant conſequentiam, quia Deus eo ipſo, quod aliquam aſſumit naturam tenetur illam regere, & gubernare, ne in peccatum labatur, non quod Deus habeat aliquam Superioris legem obligantem ad hanc ſpecialem gubernationem, cùm ſuperiorem non habeat, ſed quia ad id tenetur ex ſua bonitate; unde ſi contrarium faceret, recto ſaltem rationis dictamini contrairet, & conſequenter eſſet cauſa illius peccati; probatur aſſumptum, quando plures naturæ, & appetitus ſunt in eadem perſona, ad ſuperiorem ſpectat regere inferiorem, ut patet in homine, in quo appetitus ſenſitivus à rationali dirigitur; idem etiam conſtat in vita civili, nam maritus tenetur regere uxorem, Pater Filium, ſubditos Princeps &c. & ſi hoc à Superiore negligitur defectus in ipſum redundat; ergò quia Verbum aſſumpſit in unitate perſonæ naturam humanam, tenetur eam regulare, ne in ſuis erret operationibus, nec in ea aliquod inordinatum permittere, quia humanitas eſt aliquid illius perſonæ; Undè dicunt, quod ſi Angelus naturam hujuſmodi aſſumpſiſſet, obſtrictus eſſet gubernationi ejus ea cum lege, ut ſi malum illam agere permitteret, mali ipſe reus eſſet.

52 Reſpondeo, ſi argumentum urget, probaret pariter Deum teneri nos regere, & auxiliis efficacibus noſtra peccata impedire, quia nos habet, ut filios adoptivos, & ſervos, alioquin peccata noſtra in ipſum redundarent, & tamen juſtis de cauſis peccata noſtra permittit, ac juſtè plectit. Neque ex hoc, quod Verbum humanitatem ſibi hypoſtaticè univit, tenetur Deus ſtrictiori vinculo peccata naturæ aſſumptæ impedire, quàm noſtra, quia ut arguit P. Bellutus obligatio iſta oritur ex peccati deformitate, quod adeò eſt enorme, ut quilibet illud vitare teneatur, non ſolùm in ſeipſo, ſed etiam in quolibet alio, ſi poteſt, & maximè in inferioribus, & ſubditis; ergo idem de Deo dicendum eſſet reſpectu noſtri, quamvis etiam ex unione hypoſtatica magis teneretur ad cuſtodiam humanitatis aſſumptæ: Sicut igitur ex hoc, quod Deus peccata diſtrictè prohibet, & auxilia præbet ſufficientiſſima ad illa vitanda, non dicitur illa cauſare, ſed potius odio habere, & adhuc nos regere, & gubernare, ſic pariter dicendum eſſet de natura aſſumpta; illi enim præſtando ſufficientia auxilia ad evitandum peccatum, tali obligationi ſatisfacere cenſeretur regendi illam, & gubernandi; Et adhuc magis tali obligationi ſatisfaceret, qualiſcunque illa ſit, ſi Deus efficacibus auxiliis eam detineret, ne in peccatum rueret, ut fecit cum B. Virgine, & cum omnibus in gratia confirmatis; Ex qua tamen ſpeciali cuſtodia nec etiam ſequitur impeccabilitas, quia potentia peccandi proxima ſtat cum auxilio efficaci, ſiquidem efficacia auxilii non tollit libertatem, & indifferentiam ad utrumlibet, ſed tantùm infallibilitatem ponit non peccandi; Non itaque ex iſta obligatione teneretur Deus ad denegandum humanitati aſſumptæ concurſum paratum, ex qua ſola negatione tollitur potentia peccandi proxima; quin potius poſitis auxiliis efficacibus, & concurſu parato, quod poſtea natura aſſumpta non peccet, magis divinæ directioni tribueretur quàm ſi Deus concurſum ſuſpenderet; quarè benè concludit Pater Bellutus quod nec peccatum, neque potentia proxima ad peccandum divinæ directioni repugnat; atque ideò argumentum illud non concludit.

Sed replicat Arriaga, falſum eſſe non magis Deum teneri vi- 53
tare peccatum humanitatis Chriſti, quàm noſtræ, nec humanitatem Chriſti magis ſpecialiter eſſe ſub cura, & tutela Verbi, quàm noſ; nam licet quoad ſubiectionem non habeat maiorem, quam cæteræ humanitates, & creaturæ, tamen quoad unionem, & coniunctionem, certum eſt eam incomparabiliter magis pertinere ad Verbum, quam humanitatem noſtram; in humanis autem non ſolùm oritur obligatio ſpecialiter alium diligendi, & dirigendi ex ſubiectione, ſed maximè ex coniunctione, & unione; undè filius, qui non magis eſt ſub poteſtate Patris, quàm ſervus, adhuc tamen magis eſt ſub tutela Patris, quam ſervus, quia magis eſt phyſicè Patri ob generationem coniunctus, ac proindè magis tenetur Pater providere Filio, quàm ſervo: ergo Verbum licet equaliter ſit dominus omnium humanitatum, quia tamen noſtræ humanitates ſunt Deo extrinſecæ, & alienæ, Chriſti verò eſt ei phyſicè coniuncta, & propria, magis tenebitur bono illius humanitatis conſulere, quàm noſtro.

Verùm hæc inſtantia non multum urget, quia vis retorſionis 54
argumenti non in eo conſiſtit, quod non teneatur Deus ſtrictiori vinculo conſulere bono humanitatis aſſumptæ, quàm aliarum; ſed ſtat in eo, quod idem inconveniens poſſet inferri de Deo reſpectu noſtri, quatenus nos quoque regere, & gubernare tenetur, ut filios adoptivos, & ſervos, etiamſi ratione unionis hypoſtaticæ magis teneretur ad cuſtodiam, & prouidentiam humanitatis aſſumptæ, ut patebit argumentum pertractanti; Tùm quia verè, & proprie loquendo nulla poteſt eſſe obligatio, & debitum Dei erga creaturam, vel naturam creatam, ut *ſeq. diſp* patebit, agendo de iuſtitia Dei; undè exemplum de obligatione Patris ad cuſtodiam, & providentiam filii non eſt in rigore ſumendum, quia ut in ea dicimus *diſp.n.*138 *&* 183. Deus non eſt ſimpliciter, & propriè debitor, niſi bonitati ſuæ, creaturis verò eſt tantùm debitor ex liberalitate ſua, ut ait Doctor 4.*diſt.*46.*q.*1.*in fine*. Tùm quia, ut arguit Cardinal. de Lugo, dependentia ſervi à Domino, & Filii à Patre fundat etiam in creatis obligationem gubernationis in Domino, & in Patre, & tamen in Deo nullam talem fundat obligationem, quia eſt ſupremus Dominus creaturæ, & adeò abſolutum habet in omnes dominium, ut poſſit pro ſuo libitu licitè permittere ruinam, & culpas ſuorum ſubditorum, & filiorum, quas facilè poterat vitare, ſi vellet, licet domini, vel parentes creati hoc non poſſint. Nec valet, quod rurſus replicat Arriaga, id habere locum reſpectu aliorum hominum, reſpectu quorum habet illud ſupremum dominium, & ubi ſine mutatione eſſentiali creaturarum non poteſt Deo tribui neceſſitas impediendi peccatum; nihil tamen evincit in Deo reſpectu humanitatis aſſumptæ, ubi præter illos communes titulos eſt alius ſpecialiſſimus, quo non poteſt excogitari maior ad eam obligationem inducendam. Non valet, inquam, quin humenitas illa ex vi unionis non extrahitur à ſtatu creaturæ, ergo nunquam ad talem ſtatum evehi poteſt, ut talem obligationem inducat in Deum, minuatque deſpoticum dominium, quod habet in omnes creaturas univerſaliter, & æqualiter, nulla prorſus excepta, etiam ipſa humanitate aſſumpta; Vndè ad exemplum de Angelo in argumento adductum dicendum eſt, quod eſto in perſona creata naturam aſſumente adeſſet obligatio aliqua ad naturam aſſumptam regendam, non ſequitur idem dici poſſe de Verbo; vel alia perſona divina, cùm nulla poſſit eſſe in Deo erga creaturam obligatio, aut debitum ex dictis *loc. cit.*

ARTICULUS TERTIUS.

Aliæ Rationes examinantur.

55 QUarto arguunt antiquiores Thomiſtæ; ſi Chriſtus per aliquam potentiam peccare poſſet, ſequeretur, quod per communicationem ſaltem idiomatum valeret dicere, Deus, aut Verbum peccat, aut peccare poteſt; conſequens eſt falſam, & magnum abſurdum, quod horret auditus, ergo &c. probatur ſequela maioris, quia actiones ſunt ſuppoſitorum, ſed in Chriſto non eſt, niſi unum ſuppoſitum divinum; ergo omnis actio ſecundum quamcunque naturam exiſtentem in Chriſto debet tribui ſuppoſito divino. Tum quia actio plus imputatur principali agenti, quàm inſtrumento; ſed humanitas in Chriſto fuit inſtrumentum divinitatis; ergo omnis actio humanitatis in Chriſto debet tribui ſuppoſito divino, tanquam principali agenti; undè actio peccandi non ſolùm denominativè, & per communicationem idiomatum diceretur de Deo, & Verbo, ſed etiam ut ab ipſo principaliter cauſata. Falſitas conſequentis patet, quia conditio repugnans divino ſuppoſito non poteſt ſibi communicari ex natura aſſumpta, ſed peccare, vel poſſe peccare eſt conditio repugnans perfectioni divini ſuppoſiti, quia eſt conditio imperfectionis, & creaturæ, ut creatura eſt. Nec valet reſpondere, quod culpa per ſe diceretur tantùm de natura humana, per quam Chriſtus peccare potuiſſet, non autem de natura divina, ſecundum quam eſt prorſus impeccabilis. Non valet, quia culpa diceretur de natura humana in concreto, at non poteſt culpa ſic humana in concreto, at non poteſt culpa ſic humanam denominare naturam, quin & Deum concernat, quia hic homo eſt Deus; ergò denominando hunc hominem, Deum quoque denominaret, quia hic ſillogiſmus expoſitorius eſt bonus; Homo vel hic homo, eſt peccator; at homo, vel hic homo eſt Deus; ergo Deus eſt peccator. Nec rurſus reſpondere valet, Deo repugnare peccatum, vel peccati denominationem, per communicationem idiomatum; quod enim ex ſe Deus ſit impeccabilis, non infert illum eſſe impeccabilem quoque per communicationem idiomatum, nam Deus ſecundum ſe tamen eſt immortalis, & impaſſibilis, quam impeccabilis; & tamen per communicationem idiomatum dicitur paſſus, & mortuus, atque ità eodem modo dici poterit peccans, vel peccare potens. Non valet, inquam, quia diſpar eſt ratio, ſiquidem actiones ſunt ſuppoſitorum, itaut ſuppoſitum habeat ſpecialem influxum in illas; Deus autem nequit habere ſpecialem influxum in peccatum, benè tamen in mortem, & triſtitias. Tùm quia, quod per communicationem idiomatum de Deo dicitur, peculiari modo ab ipſo aſſumitur, approbatur, & quaſi deificatur, eſtque venerabile; repugnat autem hæc dignitas peccato. Tùm tandem quia dicere Deum mori non horreſcit mens, ſicut dicere Deum peccare, non alia ratione, niſi quia non adeſt repugnantia inter Deum, & hoc prædicatum mortis, ut ſaltem per communicationem idiomatum nequeat Deo convenire, undè dici ſolet cauſa, & auctor mortis, at inter Deum, & peccatum eſt maxima repugnantia, quoniam nullo pacto Deus dici poteſt cauſa, & auctor peccati.

56 Reſpondeo, quod licet hoc argumentum veteribus Thomiſtis viſum ſit inteleɛtuabile, à recentioribus tamen cenſetur infirmum, & imbecille & dupliciter illud ſolvunt; Aliqui negant ſequelam maioris conceſſa falſitate conſequentis, quia Deus non eſt capax denominationis peccatoris, ita Raguſa in *3. part. diſp.* 114. §. 7. & ex noſtris Gallus *loc. cit. cap.* 7. quod putat eſſe de mente Scoti *3. diſt. 2. quæſt. 1. §. ad argumenta principalia* ubi conſimili argumento occurrens nihil ad conſequentiam de illa denominatione dicit; & certè, ſi vim illius denominativi *peccator* ſpectemus, videtur, inquit, à Verbi ſanctitate ita propelli, ut ad ipſum nullo pacto pervenire queat; non enim denominativum *peccatoris* eiuſdem rationis eſt, ac alia, quæ ex natura humana aſſumpta dicuntur de Verbo, ut eſſe mortuum, eſſe ſepultum, &c. ob incompoſſibilitatem, quæ vertit inter peccatum, & ſanctitatem, ac proindè etiam inter utriuſque denominationes, ut una poſita altera excludatur, & ratio eſt, quia illæ ſunt prædicationes phyſicæ, iſtæ verò morales; facilius autem in his moralibus ab oppoſito fortiori contrarii denominatio impeditur, nam ſi quis cum peccatis, aliqua bona faciat, non ob ea dicetur ſanctus, vel virtuoſus. Tùm quia moralia multum pendent ab hominum inſtitutione acceptatione, & æſtimatione; quare ex hoc capite, data hypoteſi, ab infinita Verbi Sanctitate impediretur peccatoris denominatio, ne ipſum appellaret etiam per communicationem idiomatum; Quod etiam confirmat ex phyſicis denominationibus; ſi enim ignis ſubſtantia aliquam frigoris partem recipere poſſet, tota eius caliditate manente, non poſſet frigidus ignis ipſe nuncupari, quia denominatio frigoris impediretur à ſumma ignis caliditate; & ita eveniret in aqua, ſi ſua connaturali frigiditate retenta, aliquid caloris admitteret; atqui ſanctitas eſſentialis Dei in infinitum magis pugnat cum peccato, quam illæ qualitates caloris; & frigoris; ergo &c. Ad impugnationem verò huis ſolutionis inter arguẽdum allatam per ſillogiſmum expoſitorium, inquit talem ſillogiſmum ſupponere communicationem prædicatorum: hæc autem communicatio de denominativo *peccatoris* abſolutè negatur in præſenti. Hanc etiam communicationem denominativi *peccatoris* negat Vulpes *diſp. 9. art. 4.* Ut omninò impiam, ſed alia ratione, quę nullam prorſus probabilitatem habet, atque ideò ſcitè reiicitur à P. Belluto, ſicut & eius reſponſio, cuius proindè examen omitto, ne actum agam, cùm apud illum videri poſſit.

Alii verò conceſſa conſequentia negant falſitatem conſequentis; quæ reſponſio communior eſt apud Adverſarios, ac etiam noſtrates, quam amplectuntur Hurtad. Lugo, Bernal, Ariaga, Rada, Faber, Bellutus, Aretinus, & alii Scotiſtæ paſſim, & in hanc potius videtur inclinare Scotus *loc. cit.* à Gallo, dùm enim conſimili argumento occurrens nihil, ad conſequentiam de illa denominatione *peccatoris* dicit, eo ipſo videtur illam concedere, quod nempè Deo non repugnet per communicationem idiomatum, ac puram denominationem extrinſecam; quod planè efficaciter demonſtrari videtur per ſillogiſmum illum expoſitorium, Deus eſt hic homo, ſed hic homo eſt peccator, ex hypoteſi, ergo valet, Deus eſt peccator, ex vi communicationis idiomatum; negare verò in propoſito communicationem talis prædicati, ut negat Gallus, videtur manifeſta petitio principii. Tùm quia, ut arguit Cardinalis de Lugo, communis ſententia admittit, potuiſſe in Chriſto de potentia abſoluta eſſe actum erroris, & ignorantiam etiam poſitivam, & pravæ diſpoſitionis ſi naturam aſſumpſiſſet ignorantia laborantem, ergo ſicut ex ea hypoteſi tunc Deus diceretur ignorans per communicationem idiomatum, & per ſolam extrinſecam denominationem abſque ulla abſurditate; ità idem dicendum in propoſito ex hypoteſi, quod naturam aſſumpſiſſet peccatricem. 57

Itaque ſine ſcrupulo, & abſque ulla abſurditate concedi poteſt ſequela maioris, & negari falſitas conſequentis; ſi enim per communicationem idiomatum dici poteſt Deus mortalis, quod directè divinæ repugnat naturæ, ita pariter peccatum, quod ſolùm opponitur divinæ bonitati, & ratio eſt, quia convenire Deo aliquod prædicatum per idiomatum communicationem eſt illi conveniri tantùm ſecundùm extrinſecam denominationem, non autem formaliter, & elicitivè. Ad primam probationem falſum eſt, quod conditio repugnans divino ſuppoſito non poſſit ei convenire hoc modo, nempè per puram extrinſecam denominationem, quandoquidem ei hoc eodem modò conditio repugnans divinæ naturæ ſcilicet mortalitas. Ad ſecundam probationem falſum pariter eſt, quod ſit diſparratio, quia actiones ſint ſuppoſitorum, itaut ſuppoſitum habeat ſpecialem inſium in illas, ut enim latè diximus *diſp.* 11. *Met. qu.* 5. ex Scoto 1. *diſt.* 12. *qu. unic. ad* 2. *princ.* & 4. *diſt.* 12. *qu.* 3. *ad* 2. *prin.* ſuppoſitalitas non eſt naturæ ratio agendi; neque ſuppoſitum, præſertim quando eſt alterius naturæ, aliquem habet influxum phyſicum in actione illius naturæ, ſive formæ, ut patet in aqua calida, quæ dicitur calefacere ſolùm ſecundum ultimatam denominationem, non elicitivè, aut influxu phyſico; & ideò actio non eſt ſuppoſiti, ut elicientis, ſed ut denominati; non enim ſuppoſitum elicit operationes ea ratione, qua ſuppoſitum eſt, ſed ea ratione, qua eſt ſingulare, eo quod principium actionis *Quo* ſufficientiſſimum eſt natura, ſeù forma ſubſtantialis, & principium *Quod* eſt ſingulare; conditio operantis eſt exiſtentia, & omnia hæc habet humanitas Chriſti formaliter in ſe, nec amplius aliquid requiritur, & ſolum denominatur ſuppoſitum ab operatione ultimata denominatione. 58

Ad tertiam probationem cùm dicebatur humanitatem in Chriſto fuiſſe inſtrumentum divinitatis; dico quod licet reſpectu actionum, & operum miraculoſorum hoc poſſit concedi, non tamen reſpectu actionum moralium, quia reſpectu iſtarum habet rationem principii formalis agendi, & principalis agentis, propriè enim tales actiones à natura proveniunt. Ad quartam, cùm urgebatur, quod per talem communicationem de Deo dicitur, eſt venerabile, & quaſi deificatur, hoc totum de facto verificatur, quia quodlibet opus Chriſti fuit bonum, & per conſequens illius dignitatis capax; non tamen verum eſſet de poſſibili, & illa hypoteſi data; non enim eodem modo tunc de Deo dicerentur opus bonum, & malum; hoc enim diceretur de illo per extrinſecam tantùm denominationem, nec Deus vellet illud, ſed potius prohiberet; bonum verò diceretur de Deo, non ſolùm ſecundum extrinſecam denominationem, ſed etiam ut id, ad quod haberent Deus voluntatem antecedentem; quare peccatum, licet in eo caſu de Deo dictum, non tamen eſſet venerabile, ac veluti deificatum, quia de ſe incapax eſt horum attributorum, ſicut ſi Verbum aſſumeret brutum, hoc non diceretur ſanctum, vel ſapiens ob incapacitatem talium denominationum. Ad ultimam probationem, ex hoc quod Deus nequit dici cauſa peccati, non benè deducitur, quin dici poſſit peccare per idiomatum communicationem, & ſecundum extrinſecam denominationem, ſed tantùm quod dici nequeat peccare elicitivè; Neque mors, & paſſio de Deo dicuntur, quia poſſit eſſe cauſa illorum, ſed propter hypoſtaticam unionem, quæ eſt præciſa ratio, ut attributa unius naturæ de altera in concreto prædicentur; unde quod Deus ſit vel non ſit cauſa illius attributi, per accidens ſe habet ad communicationem idiomatum, ut optimè diſcurrit P. Bellutus Collega meus *diſp.* 12. *cit. n.* 90. 59

60 Hinc etiam eodem modo pariter occurrendum eſt rationibus, quibus probat Gallus *n.* 56. relatus, Deum neque etiam per idiomatum communicationem, aut extrinſecam denominationem eſſe capacem denominationis *peccatoris*, ſicut capax eſt denominationis paſſi, & mortui ob incompoſſibilitatem vertentem inter peccatum, & ſanctitatẽ divinam. Non inquam, id urget, quia non minor vertit incompoſſibilitas inter immortalitatem divinæ naturæ, & mortalitatem creatæ, & nihilominus denominatio *mortalis*, per communicationem idiomatum Deo non repugnat de facto; ergo eadem ratione neque de poſſibili repugnaret ei eodem modo extrinſeca denominatio peccatoris. Et cùm inquit in moralibus ab oppoſito fortiori contrarii denominationem impediri, reſpondeo, quod licet impediatur, non tamen totaliter, undè bonitas intentionis licet non ſufficiat ad tollendam ſimpliciter malitiam electionis, illam tamen minuit, ut conſtat ex dictis *lib.* 2. *diſp.* 5. *nu.* 249. Ad 2. conceſſo antecedente, quod moralia multum pendeãt ab hominum æſtimatione, negatur conſequentia, quia prudens hominum æſtimatio debet Deum eximere à peccato ſecundum denominationem intrinſecam, & elicitivè, itaquod dici nequeat peccare per voluntatem divinam; nec opus eſt, ut eximat illum à pura extrinſeca denominatione, quæ ei obveniret, ſi voluntas humanitatis aſſumptæ peccaret, ſicut de facto non eximit ab eo, quod dicatur crucifixus, & mortuus, quod non videtur minus indecens divinam dignitatem, ac illi repugnans. Ad 3. de phyſicis denominationibus negari poteſt aſſumptum, quo etiam conceſſo negari poteſt paritas, quia illæ denominationes calidi in aqua, vel frigidi in igne eſſent intrinſecæ, hoc verò, de qua loquimur, eſſet moralis, & extrinſeca; ac demum paritate conceſſa, nil aliud ex ea inferri poteſt, quam Deum eſſe incapacem illius denominationis intrinſecè, & ratione voluntatis, divinæ, non verò extrinſecè, & ratione voluntatis creatæ, ſeù ratione humanitatis aſſumptæ. Nec replicare iuvat, & inculcare cum Averſa, & aliis has propoſitiones etiam in hoc ſenſu intellectas offendere aures Fidelium; Quamvis enim id verificaretur de fidelibus vulgaribus, & idiotis, doctas tamen, ac etiam pias aures nequaquam offendere debent, quia de Deo non concedimus, quod implicat contradictionem. Hic etiam adverti debet cum P. Fabro *diſp.* 27. *cit.* quod in vulgari modo loquendi, cum dicimus quempiam poſſe aliquid facere, intelligitur quod illud facere poſſit de potentia proxima, non de remota; & ideò hæc propoſitio ſimpliciter prolata, *Chriſtus, ut homo poteſt peccare*, eſt abſolutè falſa, quia denotatur in illa Chriſtum, ut hominem, habere potentiam proximam ad peccatum, quod eſt falſum; & hæc eſt ratio, cur, hæ, & ſimiles propoſitiones aures fidelium offendere ſoleant, non autem offenderent, ſi eis explicarentur in ſenſu iam declarato.

61 Quintò, arguunt, alii aliud abſurdum deducendo; hinc enim ſequeretur Verbum fore odibile Deo, punibile, atque damnabile quod implicat; ſequela probatur, quia peccator ſecundum totam ſuam entitatem eſt obiectum divinæ diſplicentiæ, quamvis ratio formalis diſplicentiæ ſit peccatum, quia actiones malæ alicuius ſunt in cauſa, ut nedum ipſe, ſed quicquid eſt in natura, vel ſuppoſito odio habeatur. Sed hanc quoque rationem ſpernunt Adverſarii ipſi, ut imbecillem, ſicut enim in ſolutione præcedentis rationis dicebant peccatum non ideò futurum venerabile, etiamſi committeretur à natura unita hypoſtaticè Verbo, quia peccatum non eſt venerabilitatis capax, ità in præſenti dicunt non ideò Verbum futurum odibile, ſi natura ſibi unita peccaret, quia non eſt ſubiectum odibilitatis capax, nam nec venerabilitas, nec odibilitas cadit, niſi in ſubiectum capax odibilitatis, & venerabilitatis; ità Amicus *loc. cit.*

Reſpondetur tamen melius negando ſequelam, & ad probationem dicendum cum P. Belluto aſſumptum eſſe verum de ſuppoſito propriæ naturæ, non autem eſt neceſſario verum de ſuppoſito alienæ naturæ; & ratio diſparitatis eſt, quia ſuppoſitum propriæ naturæ, ſi ſemel in eo peccatum admittatur, non amplius habet, undè poſſit eſſe Deo gratum, & amabile, & conſequenter erit ſimul cum natura odibile; at ſuppoſitum alterius naturæ poteſt eſſe gratum Deo ratione propriæ naturæ; eſtò namque alienam terminet naturam peccantem, vel ſuſtentet, hoc tamen facit merè naturaliter non liberè, quare ſi natura aſſumpta peccaret, non poſſet propriè peccatum ſuppoſito adſcribi, ut cauſæ morali, quia ad illud peccatum ex propria voluntate non concurrit; Quod explicat exemplo Angeli naturam humanam aſſumentis, quæ utique poſſet peccare, quia tunc Angelus gratus Deo eſſet ratione propriæ naturæ, ſed inviſa eſſet natura aſſumpta. Quod ſi contendas ſaltem per communicationem idiomatum, Verbum data hypoteſi poſſe dici odibile, & punibile; hoc gratis admittit P. Bellutus, quia id ſolùm eſſet ſecundum extrinſecam denominationem, & ſenſus eſſet, quod eſſet odibile ratione naturæ aſſumptæ, quæ in ſe re vera odibilis, ac punibilis eſſet.

Sextò arguunt alii, ideo repugnare peccatum in Chriſto etiam de potentia Dei abſoluta, quia repugnat ex natura rei, quod etiam Scotus concedere videtur, dum inquit quod ad unionem hypoſtaticam connaturaliter, & de congruo conſequitur plenitudo gratiæ, & gloriæ; At ea, quæ repugnant ex natura rei, nec de potentia Dei abſoluta poni poſſunt, niſi Deus ſpecialiter concurrat ad ea ponenda; Deus autem non poteſt eſſe ſpecialis auctor, & cauſa ponendi peccati ut patet; ergo nequit peccatum poni in Chriſto per potentiam Dei abſolutam; Ex quo etiam inferunt implicare in terminis titulum quæſtionis, an de potentia Dei abſoluta poſſit poni peccatum, hoc enim eſt reducere exiſtentiam peccati in virtutem & potentiam Dei. 62

Reſpondetur hanc quoque rationem invalidam eſſe, imò ut proponitur, nimis probare, ut eleganter notavit Cardinalis de Lugo, tolleret enim de medio innumeras alias quæſtiones communes ſub hoc titulo propoſitas, an ſcilicet gratia, & peccatum poſſint ſimul exiſtere de potentia Dei abſoluta; an poſſit beata viſio eſſe cum peccato, & alias eiuſmodi, in quibus ſenſus communis, & planus eſt, an Deus poſſit ſpecialiter conſervare gratiam, & viſionem in præſentia peccati, ſeu coexiſtente peccato; an verò peccati ſit tanta vis, ut omninò eſſentialiter deſtruat gratiam, vel viſionem beatam; eodem itaque modo inquit Lugo, de unione hypoſtatica hic quæritur, an poſſit divinitus conſervari etiam in præſentia peccati; non ergo requiritur potentior Dei concurſus ad peccandum, ut fiat ſtante gratia ſed potentior concurſus Dei in gratiam, ut perſeveret adveniente peccato; ſicut licet ex natura rei repugnet paſſibilitas corporis cum beatitudine animæ, non tamen intelligimus in Chriſto viſionem beatam conſervatam fuiſſe potentiori, concurſu propter corporis paſſibilitatem, ſed potius è contrà poſſibilitatem corporis conſervatam concurſu potentiori ſaltem quoad modum in præſentia beatæ viſionis, quæ ex natura ſua paſſibilitatem expelleret.

Septimò arguunt alii, & præſertim Luiſius Turrianus *tract. de gratia opuſc. 6. diſp. 10. dub. 1. & 6.* probans humanitatem Chriſti non poſſe peccare ratione unionis hypoſtaticæ præciſè ſumptæ; quia Patres impeccabilitatem Chriſti non referunt in beatitudinem, aut, aliud, ſed in unionem præciſè; Per quod ruit reſponſio ſuperius aſſignata *n.* 48. ad omnes Patrum auctoritates, quod in nulla exprimatur, unionem ſolam ſecundum ſe humanitatem Chriſti reddere impeccabilem ſed confusè de ipſa loqui cum cæteris donis ipſam concomitantibus. Probat aſſumptum, quia Concilium Francfordienſe in epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ colum. 7. dicit Chriſtum non gratia, ſed natura unctum, alios verò gratia, & participatione, quę verba deſumpſit ex Hier. in Pſ. 44 circa illud *Propterea vnxit te Deus*, vndè Patres alios iuſtos appellant Chriſtos, gratia, participatione; Chriſtum verò ipſum ſua natura, & in hoc aſſignãt diſcrimen. Per quod etiam tolli videtur alia reſponſio ibidem aſſignata, quod ſi Patres interdum Chriſti impeccabilitatem ſoli unioni adſcribere videantur; hoc intelligendum ſit exigitiuè, & radicaliter quatenus vnio cõnaturaliter exigit, quod humanitas aſſumpta haberet quoq; alia principia ab unione diſtincta, quibus redderetur impeccabilis. Cùm enim Patres divinitatem Chriſti comparent gratiæ aliorum iuſtorum, vt patet in Græcis Patribus, & verbis Hieronymi citatis à Concilio Francfordienſi, prædicta ſolutio non eſt admittenda. Confirmat vlterius, quia Patres docent Chriſtum, vt hominem, eſſe Filium Dei naturalem; ergo ſupponunt eſſe ſanctum ratione unionis nam ratione ſoliùs gratiæ habitualis eſſet adoptivus; ex quo ſequitur, ut hominem, ex vi unionis præciſè ſumptæ eſſe impeccabilem etiam ſpectata Dei abſoluta potentia, quia filio naturali in eodem momento in quo eſt filius, debetur hæreditas; ergò cum hac filiatione eſt ſimpliciter incompoſſibile peccatum; conſequentia probatur, quia implicat eundem hominem ſimul habere ius in hæreditatem, & non habere ius; Chriſtus propter hanc filiationem habet ius expeditum, ſi autem habere peccatum mortale, vel originale, non haberet ius; & ſi haberet veniale, non haberet ius expeditum, ſed impeditum, quia pro illo tunc non deberetur gloria, ergo, &c. 36

Reſpond. etiam quamplures ex Adverſarii hoc argumentum cenſere levioris momenti; quamvis enim teneant Chriſtum etiam de potentia Dei abſoluta eſſe impeccabilem, fatentur 64

tamen nobiſcum id non eſſe reducendum in ſolam unionem, ſed debere etiam includi auxilia humanitati debita rationem unionis quia etiamſi unione ſanctificetur, tamen ratione unionis non videtur poſſe excludi potentia peccandi, ut conſtat in gratia habituali quia cùm unio hypoſtatica per ſe non ſit formaliter operativa, per ſe ſola naturalem modum operandi humanarum virium immutare non poteſt, atque nec per ſeipſam humanitatem reddere impeccabilem; ergo non conſtituit eam formaliter in tali ſtatu, cui repugnet peccatum, abſque aliis auxiliis; ita ſentit Suarez in 3. *part. diſp.* 14. *ſect.* 3. ut teſtatur Turrianus ipſe, Molina *par.* 1. *quæſt.* 12. *art.* 13. *diſp.* 18. *num.* 4. Bellarmin. *tom.* 3. *lib.* 5. *de iuſtif. c.* 11. & alii quamplures; qua de cauſa Henriquez tom. 1. lib. de fide hominis in commentario, præfatos Auctores citat, pro noſtra ſententia, quod ſanctitas ratione unionis non pugnet cum peccato; & quidem meritò quia ſic diſcurrendo, velint, nolint, in ſententiam Scoti deſcendunt, quod Chriſtus non ſit impeccabilis præcisè, ratione unionis, ſed ratione donorum ipſam concomitantium, quibus præciſis non repugnaret Chriſtum poſſe peccare, quia ratione unionis præcisè non conſtituitur in tali ſtatu ſanctitatis, cui formaliter peccatum repugnet; & in hoc ſolùm puncto à Scoto diſcrepant, quod ubi Scotus, ait talia auxilia, vel principia, quibus Chriſtus redditur formaliter impeccabilis, eſſe debita humanitati Chriſti ſolùm connaturaliter, & ex quadam congruitate; Auctores illi dicunt taliter eſſe debita, ut nec de potentia abſoluta ipſi negari poſſint, unde deducunt implicare contradictionem Chriſtum peccare poſſe; ergò ſaltem conveniunt nobiſcum in puncto principaliori huius controverſiæ, quod impeccabilitas Chriſti non eſt attendenda præcisè ex vi ſolius hypoſtaticæ unionis.

65 Itaque ad propoſitum argumentum negatur aſſumptum cum eius probatione, non enim Concilium Francfordienſe nec Hieron. *loc. cit.* dicunt Chriſtum fuiſſe unione dumtaxat hypoſtatica unctum, & ſanctificatum, nullatenus autem gratia habituali; ſed ſolùm dicunt non fuiſſe ſanctificatum per ſolam gratiam habitualem, ut cæteri iuſti ſanctificantur, ſed etiam per unionem ipſam hypoſtaticam, & in hoc aſſignant diſcrimen inter Chriſtum, & cæteros iuſtos; & hac ratione Chriſtum appellant natura ſua ſanctum, cæteros verò gratia, & participatione, quia Chriſto ratione unionis hypoſtaticæ connaturaliter debebatur plenitudo gratiæ, & gloriæ, non verò cæteris iuſtis. Ex quo patet ex hoc loco confirmari potius noſtram illam reſponſionem ſuperius aſſignatam, quam deſtrui, quia ibi non exprimitur unionem ſolam ſanctificare Chriſti humanitatem ſecluſa gratia, ſed potius utrumque includitur, & de unione loquitur cum concomitantia aliorum donorum eam connaturaliter conſequentium. Ad Confirmationem non dicunt Patres expreſsè Chriſtum, ut hominem, eſſe Filium Dei naturalem, ſed ſolùm non eſſe purè adoptiuum quia ſaltem eſt proprius, conſubſtantialis, & non extraneus ratione unionis hypoſtaticæ, ut dictum eſt ſuprà *n.* 11. licet autem filio naturali competat ius formale ad hæreditatem, non tamen filio proprio ſolùm, ſed tantùm ex quadam congruentia; undè ad ſummum ratione unionis competit Chriſto, ut homini, ius in hæreditatem beatitudinis radicale, & inchoatum ratione congruentiæ, non autem integrum, & formale. Et quando etiam concederemus Chriſtum, ut hominem, ratione unionis eſſe Filium Dei naturalem, & ratione talis filiationis ſibi ius formale competere ad hæreditatem paternam; hoc adhuc non excludit ab ipſo potentiam proximam peccandi, quæ eſt compoſſibilis cum omni iure ad hæreditatem, quia iſta non eſt culpabilis, ut dictum eſt *numer.* 47. & 50. ſed ſolùm excludit actum ipſum peccaminoſum; at punctus huius controverſiæ præcipuus non eſt de compoſſibilitate actus peccati cum hypoſtatica unione, ſed de potentia proxima peccandi ut ſæpius dictum eſt, pro cuius excluſione de potentia Dei abſoluta nullam efficacem, & validam rationem afferunt Adverſarii, ut clarè conſtat ex hactenus dictis in toto hoc articulo.

QUÆSTIO TERTIA.

An gratia habitualis Chriſto collata fuit ſumma poſſibilis conferri creaturæ, & quomodo.

66 CErtum eſt gratiam habitualem Chriſti eſſe ſummam, & omnium maximam, quàm Deus unquam creaturæ communicaverit, vel communicare potuerit de communi, lege ac de potentia ordinaria: quia nullus debuit habere tantum; ſicut nullus fuit, vel erit tam dignus, quam Chriſtus: undè ſi concipiamus ex omnibus aliorum hominum, & Angelorum gratiis inter ſe adunatis unam gratiam reſultare, adhuc intenſio gratiæ Chriſti totam iſtam intenſionem ſuperaret; & ratio eſt, quia ob unionem hypoſtaticam habuit humanitas Chriſti ſummam congruitatem ad ſummam gratiam; etiam infinitam, ſi eſſet poſſibilis; ita Scotus 3. *diſt.* 13. *q.* 1. *&* 2. & eſt communis omnium ſenſus. Certùm eſt inſuper, quod ſi detur ſtatus in intenſione qualitatum, itaut aliqua qualitas pervenire poſſit ad tantam intenſionem finitam, ut magis intenſa dari non poſſit, gratia Chriſti dicenda erit ſumma negativè, hoc eſt qua maior dari non poſſit; nō erit verò ſumma poſitivè, hoc eſt excedens omnes gratias poſſibiles, quia alia gratia ipſi æqualis eſſet poſſibilis, ratio huius eſt, quia tanta perfectio danda eſt Chriſto quanta poteſt, ergo ſi detur talis ſtatus in intentione, debuit Chriſto dari gratia, quia maior dari non poſſit, ſed illa gratia eſſet ſumma negativè, ergo &c. Si verò non detur talis ſtatus, non erit ſumma, nec negativè nec poſitivè reſpectu omnium gratiarum poſſibilium, & ratio eſt quia in illa hypoteſi non poſſet dari ulla tanta, quin maior dari poſſit de potentia Dei abſoluta. Quarè tota difficultas huius quæſtionis in eo conſiſtit, an detur talis ſtatus in intentione qualitatum; & quidem Scotus *loc. cit.* affirmare videtur, & conſequenter aſſerere gratiam Chriſto collatam fuiſſe ſummam negativè, itaut intenſior reperiri non poſſit etiam de potentia Dei abſoluta, & ita loquimur omnes ferè Scotiſtæ, tùm veteres, tùm iuniores Faber, Vulpes, Rada, Centinus, Gallus, Aretinus, Auctor controverſiarum inter Scotiſtas, & alii paſſim.

76 Sed in qualitatibus non dari ſtatum, nec ſummum gradum, aut terminum intrinſecum ſuæ intenſionis in ordine ad potentiam ſupernaturalem, iam latè oſtendi *diſp.* 10. *Phyſ. qu.* 5. *art.* 2. ubi demonſtravi poſſe dari in qualitatibus infinitum ſyncathegorematicum; ideoque eam opinionem de termino intrinſeco, & ſummitate gratiæ Chriſti nec etiam in Scoti principiis poſſe ſuſtineri, & rationes ad hoc ab ipſo inductas eſſe ſolubiles, & ad hoc probabiliter tenendum non tam fuiſſe illis rationibus permotum, quas etiam ipſe ſolubiles vidit, quam ex reverentia, & devotione erga Chriſtum Dominum, ut conſtat ex piiſſima proteſtatione, quam facit verbis illis *lit. H. in commendando Chriſtum malo excedere, quam deficere à laude ſibi debita, ſi propter ignorantiam oportet in alterum incidere*, quibus conceptis, ac ſonantibus verbis expreſsè ſignificat difficultatem defendendi ſententiam, quam ibi probabiliter docuit de negativa ſummitate gratiæ Chriſti; & motiuum eam tuendi aliud non fuiſſe; quam vehemens deſiderium, quo æſtuabat commendandi, & extollendi excellentiam Chriſti Domini, quantum fieri poteſt cum aliqua probabilitate. Verùm quoniam, quæ ibi diximus, evertere tentarunt Gallus in 3. *diſt.* 13. *quaſt.* 1. *c.* 3. & poſt ipſum Auctor ille *contr* 2. *part. contr.* 10. rationes, ac ſolutiones ibi datas, hic rurſus per currere cogor, ac pro viribus confirmare.

ARTICULUS PRIMUS.

Reſolutio Quæſtionis.

QUamvis de lege communi, & Secundum potentiam ordinariam gratia Chriſti augeri non potuerit, nec in aliquo ſubiecto produci gratia intenſior illa; nihilominus ſecundum potentiam Dei abſolutam augeri poterit, nec dari poteſt tanta gratia habitualis, qua maior à Deo produci non poſſit, atque adeò poteſt ea in infinitum augeri in intenſione. Concluſio quoad primam partem eſt communis, in omni Schola; & manifeſtè colligitur ex Scripturis, & Patribus dicentibus in Chriſto fuiſſe plenitudinem gratiæ, & talem, quæ non convenit aliis Sanctis; Quamvis enim B. Virgini tribui ſoleat, cùm dicitur gratia plena, non tamen in eo ſenſu, quo tribuitur Chriſto, ſed tribuitur ſolùm, quatenus plenitudo gratiæ magnam circumſcribit abundantiam, & exceſſum ſanctitatis dignitati Matris Dei proportionatam; At Chriſto tribuitur in tota amplitudine poſſibili de communi lege, qua ratione dicitur Io. 3. non fuiſſe illi datum ſpiritum ad menſuram, non quia gratia Chriſti fuerit infinita in genere qualitatis, quia tale infinitum in actu cathegorematicum repugnat ex dictis *diſp.* 10. *Phyſ. quæſt.* 5. *art.* 1. ſed quatenus gratia Chriſti ad omne munus gratiæ ſe extendit, & ab ipſa; ut à fonte, & capite omnia dona hominibus conceſſa proveniunt; undè inquit Bernardus, quod plenitudo gratiæ Chriſti fuit plenitudo fontis, plenitudo autem gratiæ B. Virginis fuit, ut aquæ ductus, alii verò Sancti fuerunt, ut rivuli, iuxta illud Pſ. 132. *Sicut unguentum in capite, quod deſcendit, &c.* dicitur etiam fuiſſe plenitudo gratiæ propter coniunctionem humanitatis cum divinitate, & propter infinitatem meritorum Chriſti, quæ plenitudo ſic explicata ſoli Chriſto convenit, non verò alii Sanctis. 68

Quo autem ad poſteriorem aſſertionis partem, diſſidium eſt in Schola noſtra, nam oppoſitum ſolent tueri Scotiſtæ; ſic enim videtur docuiſſe Doctor 3. *diſt.* 13. *q.* 1. aliqui tamen etiam nobiſcum conſentiunt, dicentes, Scotum non oppoſitum ibi docuiſſe, ut omninò certum, ità P. Cavellus *lib.* 2. *Met. q.* 6. *ſchol.* 1. Bellutus *diſp.* 10. *qu.* 1. Baſſolius 1. *diſt.* 17. *q.* 3. *art.* 1. *&* 3. *diſt.* 13. *q. unic. art.* 2. Tataret. 1. *Phyſ. q.* 4. *notab.* 4. & alii nonnulli in Phyſica iam citati; quoniam verò huius aſſertionis fundamentum pendet ex eo, quod in qualitatibus in ordine ad potentiam ſupernaturalem non detur certus terminus, ſed poſſint in infinitum intendi, id *loc. cit.* probavi præſertim ex proportione extenſionis in quantitate, & intenſionis in qualitate; ſicut enim quantitas in ordine ad potentiam Dei abſolutam nullum habet terminum intrinſecum, ſed poteſt in infinitum augeri, ita pariter de qualitate dicendum in intenſione; nulla enim ratio afferri poteſt de qualitate, quæ pariter de quantitate etiam non convincat; Et quidem hæc ſola paritas videtur ſufficiens ad convincendum intentum; vel certè ſi Scotiſtæ id volunt de qualitate aſſerere, quod terminum habeat intrinſecum in intenſione, quo habito nec ulterius poſſit intendi etiam de potentia Dei abſoluta, nec alia intenſior produci; idipſum quoque de quantitate aſſeverare debebunt, nedum continua permanenti, ſed etiam diſcreta, quod eſt prorſus improbabile, nec ſine magnis anguſtiis defendi poteſt. Quapropter Scotiſtæ communiter hunc terminum præfigunt qualitatibus tantùm, & varias diſparitates de qualitate, & quantitate afferre conantur, quas *loc. cit.* ſingillatim reieci. Sed quamvis ille ſit difficilior reſpondendi modus, ut aiebam, quia incurruntur anguſtiæ hoc ipſum tuendo de quantitate, quod habeat ipſa quoque terminum intrinſecum in extenſione, ei tamen adhæſerunt duo Scotiſtæ ſupracitati Gallus, & Auctor ille controv. & aſſeveranter dicunt Scotum agnoviſſe quoque terminum intrinſecum in quantitate, quo habito non poſſit maiorari etiam de potentia Dei abſoluta, nec alia maior produci. 69

70 Hoc tamen de quantitate nullatenus aſſeri poſſe iam oſtendi *diſp.* 10. *Phyſ. cit. quæſt.* 4. *n.* 65. cum inter corpora poſſint dari maiora, & maiora in infinitum, & in corporibus homogeneis poteſt divinitus dari infinitum ſincathegorematicum in magnitudine, ignis enim poteſt creſcere in infinitum, ſi continuò ſibi apponeretur combuſtibile, ut concedit Doctor 2. *diſt.* 2. *quæſt.* 9. *N.* ex 2. de anima, & nulla repugnantia eſſe videtur, ut aquæ cuicumque dabili alia aqua de novo creata coniungi, & miſceri queat, quod argumentum *loc. cit.* latè proſequor; Et planè valdè friget reſponſio Galli, quod Doctor verba illa dicit ſolùm referens Philoſophum, & quod nos ſenſum eius violenter detorqueamus; cum ibi nil aliud intendat, niſi quod ignis non poteſt eſſe cauſa augmentationis in viventibus, quoniam augmentatio in viventibus terminum præſcriptum à natura habet, & ideò ignem non poſſe illius accretionis eſſe cauſam, quia ignis creſcit in infinitum, ſi apponatur combuſtibile in infinitum. Frigida inquam, omninò eſt hæc reſponſio, quod Scotus recitativè ſolùm verba illa Philoſophi referat, ſed alia quoque ex propriis adiicit in confirmationem illius dicti; ut enim oſtendat ignem eſſe non poſſe cauſam accretionis determinatæ in viventibus, ut illam ſolam producat, & non ultrà illam, hanc reddit rationem, quia *ignis non eſt determinatus ad quantitatem in aliqua ſpecie, quia quantum eſt ex ſe produceret maius quantum, quia creſcit in infinitum, ſi apponantur combuſtibilia in infinitum*; non ergò recitativè ſolùm profert illa verba Philoſophi, ſed illa etiam approbat, declarat, & confirmat; undè Gallus ipſe, non ego, violenter ſenſum Doctoris extorquet; Deindè non ſufficiebat huic dumtaxat auctoritati occurrere, ſed rationibus etiam à me adductis debebat ſatisfacere, quas cap. illo tertio attulit ab initio, & poſtea in argumentorum diſſolutione omninò diſſimulat, & inſolutas relinquit, hoc ſolo contentus, quod ſenſum Doctoris *loc. cit.* à me detortum dixerit.

71 Quod verò ſubdit Gallus ibidem, frivolum eſſe, quod dixeram, Doctorem noſtrum ad tuendam ſummitatem negativam gratiæ Chriſti potius motum eſſe ex devotione, & reverentia, quam ex robore, & ſoliditate rationum ab ipſo adductarum; Quia putandum non eſt tam ſtolidum fuiſſe Doctorem, ut in commendando Chriſtum vellet uti doctrina, ut ſolida ab ipſo non probata. Hoc, inquam, etiam frigidum eſt, & gratis omninò dictum; nunquam enim dixi rationes illas nihil habere ſoliditatis, & probabilitatis, imò conceptis verbis *l. c.* dico eſſe ſatis probabiles, ſed ad hoc probabiliter tenendum non tam fuiſſe motum illis rationibus, quas etiam ipſe ſolubiles vidit, quam ex devotione & reverentia erga Chriſtum Dominum; Quare ſenſus illius mei diſcurſus eſt, ut ibi me declaro; quod in hoc puncto ſubtiliſſimum eius intellectum captivare voluit in obſequium Chriſti, quia eſtò probabiliores rationes viderit extare pro opinione, quam nos ſequimur, & minus probabiles pro oppoſita, hanc potius amplecti voluit præferendo devotionem, & reverentiam in Chriſtum Dominum ponderi rationum magis probabilium, ut ſe ſe conceptis verbis declarat in ea proteſtatione, *In commendando Chriſtum malo excedere, &c.* Undè ſolùm ſequitur opinionem, quam ibi elegit de ſummitate negativa gratiæ Chriſti, eſſe magis piam, & maiorem redolere devotionem, non tamen magis probabilem, & in ratione fundatam.

72 Auctor verò ille controverſiarum ad hoc primum argumentum ex paritate inter qualitatem, & quantitatem deſumptum quod habere, vel non habere terminum intrinſecum, gratis illam admittit & ipſe, dicens utrique præfigendum eſſe terminum intrinſecum in intenſione, & extenſione etiam in ordine ad potentiam Dei abſolutam; & negat poſſe aſſignari quantitatem, cui ſemper fieri poſſit additio novæ quantitatis in infinitum, maiorem ſemper, & maiorem faciendo extenſionem; At nec ipſe occurrit rationibus, quibus hoc demonſtro *diſp.* 10. *cit. q.* 4. *n.* 65. ſed eas altè diſſimulat; imò nec reſpondet auctoritati Philoſphi ex 2. de Anima iam allegatæ, quod ſi igni addatur combuſtibile, in infinitum creſcet, cùm tamen eam adducat; Sed quando etiam hoc totum à nobis concederetur, quod non poſſit aſſignari quantitas, cui poſſit alia quantitas in infinitum addi maiorem, & maiorē ſemper faciendo extenſionem, non adhuc aſſequitur intentum; quia nobis ſufficit, quod eſtò una quantitas nequeat addi alteri ad eam extendendam, & ampliandam, quando illa fuerit in termino, ſufficit, inquā, quod poſſit ſemper creari unum corpus maius & maius alio in infinitum; hoc enim ſolùm ſufficit, ut dicamus poſſe dari infinitum ſincathegorematicum in quantitatibus, quicquid ſit de additione unius ad aliam, vel unibilitate unius cum alia; ex hoc enim ſolo deducitur, non poſſe dari ſummum negativè in quantitatibus quia poteſt divinitus produci alia, & alia maior ſemper in infinitum; Et quidem rationabiliter negari nequit, cùm omnes Theologi paſſim concedant, poſſe Deum de potentia abſoluta producere infinitos Orbes inter ſe diſſitos, aut finitos in infinitum, quorum unus ſucceſſivè ſit alio minor, & amplior. Sic igitur pariter in propoſito, ut oſtendamus gratiam, & charitatem in ordine ad potentiam Dei ſupernaturalem non habere terminum intrinſecum ſui augumenti, non eſt neceſſe, ut quacumque charitate data in uno ſuppoſito, adhuc in eodem poſſit à Deo intendi in infinitum, & ſemper fieri maior, ſed ſufficit, ut quacumque charitate data in uno ſuppoſito, poſſit Deus ſaltem in alio producere maiorem; eo enim ipſo gratia illa non erit ſumma negativè, quia poteſt dari alia maior ipſa, ſi non in eodem, ſaltem in alio ſuppoſito.

Deindè arguebam *loc. cit.* à ſufficienti diviſione, quia ex triplici tantùm capite ad ſummum poſſet hæc determinatio intenſionis provenire; vel ex parte agentis, cuius virtus ſit limitata ad introducendam formam in ſubiecto; vel ex parte ſubiecti quod maioris intenſionis non ſit capax; vel tandem ex parte ipſius formæ ſibi determinantis certùm limitem, quem tranſgredi nequit; Non ex primo capite id poteſt aſſeri, quia cùm agens hic ſupponatur eſſe ſupernaturale, & infinitæ virtutis poterit qualitatem ſemper augere, vel unam aliam intenſiorem producere. Neque ex ſecundo capite, quia cum ſubiectum talem intenſionem recipiat per potentiam obedientialem paſſivam, ut notat Doctor 3. *diſt.* 13. *q.* 1. *I.* ſicut hæc nullum terminum intrinſecum magnitudinis habet, ità per ipſam non determinatur ſubiectum ad tot gradus recipiendos, & non plures, ſed determinatur tantùm per terminum extrinſecum, quatenus per potentiam obedientialem non habet capacitatem ad formam infinitam, vel infinitè intenſam; quæ ſolùm terminus extrinſecus ponitur in intenſione formæ, ut ait Doctor *lit. L.* Tùm quia hic non tantùm loquimur de ſummitate gratiæ; conſiderando ipſam in ordine ad ſubiectum, cui confertur, ità quod illa dicatur ſumma gratia, quando eſt tanta, quantam poteſt capacitas ſubiecti recipere, ſed præſertim loquimur de ſummitate gratiæ præcisè inſpectæ, & ut à quolibet ſubiecto præſcindentis, & ſenſus eſt: an gratia Chriſti fuerit ita ſumma, ut non ſolùm Chriſto major gratia conferri potuerit, ſed nec etiam cuicunque alteri creaturæ. Nec tandem ex tertio capite hæc intenſionis determinatio attendi poteſt, quia tale augmentum non ponit qualitatem extra limites creaturæ, nam quacumque gratia, & charitate ſignata poteſt fieri alia perfectior intra eandem ſpeciem; ergò non poteſt dari ſuprema charitas; probatur aſſumptum, quia quæcumque gratia ſignata eſt finita; ergo abſque contradictione, & repugnantia poteſt intelligi alia perfectior, quia per hoc non intelligitur infinita. 73

Reſpondent Scotiſtæ oppoſitæ ſententiæ ex Scoto *lit. I.* negando aſſumptum quoad tertiam partem, ad probationem dicunt, quod licet quæcumque gratia ſignata ſit finita, attamen in progreſſu tandem ad talem intenſionis gradum pervenitur, ut licet aſſignari poſſit alia gratia numero diverſa illi æqualis, non tamen ea perfectior, quia cum illa ſit in termino, non poteſt excedi ab aliqua gratia; eſt enim contradictio, quod hęc gratia ſit in termino ſuæ perfectionis, & quod alia ſit, vel intelligatur perfectior; Quod ſi dicas poſſe produci aliam imperfectiorem, quæ illi addatur, quia non ob id evaderet infinita, ſed ſolùm perfectior, quam eſſet anteà ob additionem novi gradus. Negant rurſus talem fieri poſſe additionem etiam de potentia Dei abſoluta, etiamſi tota gratia ex tali additione reſultans foret finita, quia aliquod finitum intelligibile poteſt repugnare alteri intelligibili finito; ſicut ſi intelligatur album addi nigro; tunc utrūq; eſt finitū, & id, quod additur, & id, cui additur & tamen repugnat unum addi alteri in aliqua perfectione, quia repugnat omninò, quod album ſit perfectio nigri, & è contrà; 74